DE APOLLINARI SIDONIO EMENDANDO.

SCRIPSIT

FRIDOLFUS V. GUSTAFSSON,
D:R PHILOS.

HELSINGFORSIAE,
1882.

DE

APOLLINARI SIDONIO EMENDANDO.

SCRIPSIT

F. GUSTAFSSON.

HELSINGFORSIAE.

EX OFFICINA I. C. FRENCKELLII ET FILII.

1882.

Nonum fere in mensem cursum inhibui huius libri, quem praestituta die (m. April.) edendum non ea qua oportebat diligentia confeci. Etiam nunc multum dubitavi eum omnium permittere existimationi cum praeclaram, ut sperandum est, Sidonii editionem iam diu Berolini praeparatam magis magisque accrescere et in Gallia Chatelainium virum de Sidonio emendando bene meritum opus suum perficere velle cognoverim. Haud paucas tamen adnotationes meas puto per se esse dignas quae cum pluribus communicentur, ut 1. 4 (quamquam *repraesentandi* verbum iniuria reieci). (7—9.) 10—12. 14. (15.) 16. 20. 24. 27. (28.) 31—36. 38. 40. 46. 47 (*qui*, quod etiam clar. prof. F. I. Peterseno Helsingforsiensi in mentem venit). 49. (50.) 54. 56 (ubi tamen *colloquia rimari*, *consilia ridere*, *officia contemnere* coniecit Goetzius prof. Ienensis*). (57.) 58. (60—61.) 64. 67—68. (73—74.) 75 (*constare*). 80. 82. 89—90. (92.) 95—96. 99. 107—109. (111.) 113. (115—117.) 123.

Haec ad primum epistularum Sidonii librum pertinent; in ceteris quaedam mihi displicent, sicut 137. 161. 199 (ubi Buechelerus vir celeberrimus *infrenes* pro *inferiores* scribi vult*). 200. 239 (*mihi*, docuit enim Petersenus dativum comparativo adiungi et apud Sidonium et apud alios Gallicos certe scriptores; cfr. 277). 258. 336 (ubi Luetiohannus v. d. contulit ep. I 9*), alia quoque Petersenus). Et paenitet me etiam levioribus rebus commemorandis adfectavisse quibusdam locis speciem editionis, cuius neque in aliis rebus neque in exscribendis verbis Sidonii assecutus sum accurationem,

*) Quod mihi perscripserunt litteris viri humanissimi spero eos passuros esse in medium prolatum.

sicut pag. 5 vers. 2 *magis* pro *potius* scripsi. Nescio tamen an satis sit haec addere corrigenda: 31 versu 4 *nutabat;* 138 med. Hudemannus; 239, 1 HRZUX; 303,2 omiserunt; 304 ult. versu *lcpos;* 395 add. ex ep. VIII 9 *cn carmcn quod rccenscas otiabundus.*

Quocumque modo opus meum qui legerint iudicabunt, mihi gratum erit si viris doctis videbor nonnullis locis scriptoris difficillimi verba recte sive restituisse corrupta sive servata interpretatus esse; certam vero totius Sidonii emendandi rationem iis tutius relinquam qui omnes omnium bibliothecarum excusserint codices.

Scribebam Helsingforsiae m. Decembr. a. 1882.

In carminibus Claudiani et Statii examinandis per aliquod tempus occupatus cum animadvertissem quantum eos imitando expressisset Apollinaris Sidonius quantumque ad eorum genus scribendi illustrandum scripta illius diligenter pervestigata possent conferre considerarem, ad haec, neglecta praesertim satis diu a viris doctis, curas meas et cogitationes ad tempus saltem transferendas existimabam. Itaque cum Romae initio a. 1880 duos vetustissimos Sidonii codices totos, quanta par erat diligentia, contulissem, comparatis et perpensis quae et Bernae et Florentiae ex vetustis membranis excerpseram, quamquam non paucos codices ex aliorum descriptionibus neque perfectis neque ubique prorsus certis habebam cognitos aut omnino quales essent ignorabam, veram tamen scriptorum Sidonii speciem non opinione quadam perceptam, sed ratione intellectam tenere mihi videbar. In patriam revertenti Holmiae quasi ultro oblatus est codex vetustus, quem benigne permittentibus Holmiensis bibliothecae praefectis huc missum cum totum contulissem, maximi reperiebam esse momenti ad cognationem, ut aiunt, codicum cognoscendam.

Quae cum ita sint neque editiones Sidonii, quas parari audio, apparuerint aut mox appariturae dicantur, me haud ingratum viris doctis opus suscepisse puto, quod codicibus Sidonianis quos novi prolatis quantum singulis tribuendum sit auctoritatis, quid plurimis locis in iis scriptum, quid editoribus probatum, quid coniecturis tentatum sit, denique quid recipiendum videatur, quid reiciendum, exponere sum conatus. Ac quamvis omnis mihi, ut dixi, copia librorum calamo scriptorum aut typis expressorum praesto non fuerit, spero tamen fore ut ea quam institui rem tractandi ratione epistularum carminumque Sidonii recensio nonnihil

adiuvetur, praesertim cum in veterum libris edendis, ut in re difficillima, nulla omnino adiumenta spernantur oporteat. Editoris igitur non tam praestiti officium, quam operam praeparavi.

In opere quod mihi sic proposueram persequendo ut eorum potissimum commodidati consulerem, qui scire vellent quid quoque loco scriptum fuisse et scribendum esse censerem, singula eo quo apud ipsum scriptorem inveniuntur ordine tractavi, de prioribus epistularum libris copiosius disserens, de posterioribus et de carminibus — ne fines huius libelli excederem — ea fere sola attingens, quae ad codices aestimandos pertinerent. Neque omnino leviores res nisi gravioribus immixtas exposui et multa meo arbitrio praetermisi, quae quidem cum ad summam rei propositae nihil proficiant, nemo hoc loco plene et perfecta reddita exspectabit. Ac ne in iis quidem verbis de quibus agetur semper omnes scribendi notae typis erunt descriptae; nam nostrae aetatis homines ut in his rebus multo maioribus quam priores laudibus digni merito ducantur, interdum tamen verae artis praeceptis abusi cum recentissimi cuiusque codicis minutissimos quosque litterarum ductus exprimunt, vereor ne animos legentium implicent et molestissima diligentiae perversitate obtundant, ad veritatem explorandam vix quidquam conferant.

Ex iis lectionibus, quas ex codicibus attuli aut allatas emendavi, quamvis multae sint iam antea notae atque etiam ab uno et altero editore receptae, multae tamen restant non contemnendae, quae aut prorsus ignotae aut in adnotationibus doctorum virorum abditae adeo iacuerint neglectae, ut nullam iam lucem aspecturae esse viderentur. Sunt autem hae, omissis iis quae solum recte scribendi causa commemorantur, his numeris in libello meo notatae: **4. 15. 24. 35. 49. 53. 60. 74. 75. 90. 104. 106. 108. 111. 112. 116. 120. 124. 127. 143. 155. 160. 161. 162. 164. 175. 182. 192. 193. 197. 200. 218. 225. 226. 230. 234. 237. 240. 241. 246. 254. 263. 266. 277. 279. 285. 293. 296** *(virum omnem)*. **297. 302. 306. 307. 317. 321. 325. 330. 345. 346. 347. 348. 350. 352. 354. 359. 365. 366. 381. 390. 392. 397. 401. 402. 405. 408. 414. 415. 418.**

Quibus adiungi possunt eae, quas nulla perexiguave codicum ope emendavi aut coniecturis saltem corrigere studui, quae in posteriore libelli parte rarius commemorabuntur: **3. 19. 20. 32. 47. 56. 130. 148. 150. 165. 170. 183. 189. 199. 204. 209. 214. 217. 239** *(mihi)*. **256. 258. 262. 294. 299.** (**302**). **324. 336. 368. 375. 393. 394. 396.**

Verum pluribus etiam locis, ubi editores alii aliter verba Sidonii scripserunt, id effeci ut ex auctoritate codicum tota ea res agi possit. Itaque omnibus fere his locis veram lectionem tum ab hoc vel ab illo, tum ab uno vel pluribus editorum receptam codicum testimoniis ponderatis, additis saepissime aliis argumentis meo mihi iure restituisse videor. Qua in re illud iam nunc monendum est Sirmondum, quem, quod optime Sidonii verba reddidisset, posteriore aetate viri docti et laudaverunt et secuti sunt, etiam in manifestis rebus non semel (ut **7** *diuturnam*, **129** *hospitibus*, **259** *inquit*, **269** *etiam furtiva quoque*) meliores codices aut non novisse aut neglexisse, contra Savaronem aut coniciendi arte feliciter usum aut, quod multo verisimilius est, melioribus codicibus instructum veras invenisse lectiones, eundem vero interdum in apertis erroribus, ubi in promptu erat emendatio, ut **4** (*ipsa*) et **28**, quibusdam librariis nimis esse obsecutum.

Nonnullis locis interpretationem adiuvare conatus sum, ubi explicatione ab aliis prolata acquiescendum esse non existimabam.

Ex iis locis Sidonianis, quibus emendandis operam navavi, Chatelainius multos ille quidem neque tamen plurimos neque gravissimos ac ne facillimos quidem omnes prior iisdem fere codicibus usus a. 1879 tractavit in commentariis qui inscribuntur: Revue de Philologie de littérature et d'histoire anciennes, (nouvelle série vol. III pag. 154 seq.), quem librum, quotiens Chatelainium nomino, intellectum volo; codices quibus notis ille significavit, ego quoque significandos censui, praesertim cum eum quem optimum duco prima designet littera. De paucis quibusdam locis Mohrius verum tulit iudicium, qui recentioribus codicibus nimium attribuens auctoritatis Sidoniani sermonis

non penitus perspecta proprietate interdum codicum lectiones vel falsas defendit vel veras coniecturis vexavit, de quibus meliorum librorum auctoritate probata sententiam suam sine dubio vir doctissimus ultro mutabit; disseruit autem de hac re in programmate gymnasii Sondershausiani a. 1877, quod non semper commemorabo, et in Actorum Societatis philologae Lipsiensis tom. V (a. 1875). Editionum in hoc libello conscribendo his usus sum: ea quam additis Petri Colvii notis I. de Wouweren Parisiis a. 1598 edidit, altera Io. Savaronis Parisiis a. 1609 edita, Gev. Elmenhorstii (Hanoviae a. 1617), Iac. Sirmondi altera, quae optima habetur, Parisiis a. 1652 a Labbeo edita, quam semper Sirmondi nomine commemorato intellego, Mignii (Parisiis a. 1862), qui ipsius Sirmondi editionem repetivit, Bareti (Parisiis a. 1879). Saepius etiam a me commemorabitur liber, qui inscriptus est Oeuvres de C. Sollius Apollinaris Sidonius traduites en francais avec le texte en regard et des notes par I. F. Grégoire et F. Z. Collombet (Lyon et Paris 1836), quam brevitatis causa gallicam vel gallicorum interpretum versionem appello.

Codices quos ipse totos contuli hi sunt.

Codex Vaticanus n. 3421 (**A**) forma 4 min. saeculo IX aut X scriptus. Eius aetatis indicia in eo non pauca inveniuntur; hic satis habeo commemorare *l* et *d* (de *h* et *b* nihil adnotavi) litterarum superiores ductus crassiores clavaeque, ut aiunt, similes, N pro *n* frequenter positum praecipue in extremis vocabulis cum O S T litteris coniunctum, his antepositum, illi postpositum, *a* litterae cum *u* similitudinem quandam. Compendia minime rara sunt neque tamen legentibus impedimento, & antiqua forma in mediis quoque vocabulis ponitur, cui saepe *a* litterae nota subiungitur. *S* et *d* litteras nonnumquam confudit librarius, ut exemplari semiuncialibus, quae dicuntur, litteris conscripto usus videatur. Verba et sententiae, quanta est in ceteris rebus huius libri perfectio, non satis dividuntur, ne longiora quidem vocabula, ut in primi libri prima epistula *dignasi-*

militudine; siquis semper fere pro uno verbo scribitur, praepositiones cum verbis sequentibus saepissime coniunguntur. Lineae singulis paginis sunt 30 neque eae ex atramento ductae, quarum in folis 2—9 binae, in ceteris ternae inferiores scriptura carent, in singulis lineis in initio libri 54, sub finem 43 litteras numeravi ut summum. Hic liber saepius correctus est et ab ipso librario et ab alio eiusdem aetatis homine et recentioribus temporibus; ab illis graviora menda sublata sunt, posteriore aetate leviora. Idem de scholiis et inter verba Sidonii et in margine non ita raro adscriptis dicendum est. Interdum aliis manibus exscribendi opus paulisper continuatum videtur ut fol. 114b et 140a; sed fol. 142a (carm. 15, 48 *Prienae Bia)*, ubi novus incipitur quaternio, et deterior fit membrana et recentior veterem excipit manus, quae undecimi saeculi est. Fol. 2, quod primum est veteris libri, sunt Ausonii de XII Caesaribus versus 12 *(Caesareos proceres — Roma Neronem)*, sequitur *Gai Sollii Apollinaris Sidonii Liber Egregius Incipit Arvernensis aecclę Epi*, aversa pagina prima incipit epistula. Fol. 158a finitis carminibus Sidonii additum est *Explicit*, subiunguntur notae musicae interpositis verbis *Sanctus sanctus sanctus dominus deus* et q. s.; aversa pagina usque ad finem (fol. 163b) nonnulla de grammatica sunt scripta.

Codex Vaticanus n. 1783 (V) forma 8 min. saeculo IX aut X scriptus. Vetustatis eadem fere omnia in hoc codice sunt indicia atque in A, accedit R etiam in mediis vocabulis positum ut ROR. Cetera quoque simillima sunt; linearum uniusque paginae numerus est 25, litterae singulis lineis sunt circiter 40. Membrana multis modis laesa multa difficillime, multa omnino non legi possunt. Qui codicem scripsit saepe et vitia sua correxit et scholia addidit, alii multo rarius. Prima pagina adversa nihil equidem legere potui, aversa ep. I 3 incipitur, duodecimo quaternioni (fol. 96b), cuius in fine est locus ep. VIII 12 extr. *nam quamvis super hoc studio tam ipse quam patria*, adsutae sunt membranae, in quibus repperi epistulas "*Fulberti episcopi Carnotensium*" saeculi XI manu scriptas et in initio et in fine

mutilatas; sequuntur alia X et XI saeculis exarata. Sed in ipsis Sidonii epistulis multa omittuntur et transponuntur. In ep. II 4 init. post verba *patruoque spectabilibus* sequuntur ex ep. II 9 init. *tempus voluptuosissimum* usque ad *licet quaepiam volumina*, haec excipiuntur illis quae in ep. II 4 sequi debuerunt *avo etiam praestantissimo*, omisso tamen verbo *avo;* in init. ep. II 9 post verba *Ferreolum et Apollinarem* (*tempus*) ponuntur ex eadem epistula *in quam forte* et q. s. deinde in ep. II 11 verbis *communium municipiorum* adiunguntur *(volumina) quorumpiam auctorum* ep. II 9, non ita multo post scriptis verbis *scrobs fodiebatur (in quam forte)* transitur ad ep. II 11 *(municipiorum) discretione procedit.* Apponuntur suis locis notae, quibus verus ordo monstratur. Iam vero si haec sumitur in archetypo fuisse foliorum unius quaternionis compositio:

fol. 1 — 3 — ep. II 4 *avo etiam* — ep. II 9 *Apollinarem.*
fol. 4 —(ep. II 9) *tempus volupt.*— *volumina*
fol. 5 — *quorumpiam* — *fodiebatur*
fol. 6—8 — *in quam* — ep. II 11 *municipiorum*
(fol. 9 — *discretione* et q. s.),

apparet fol. 4 et 5 de suo loco motis, ut illud primum, hoc ultimum fieret, hunc fuisse transpositorum foliorum ordinem 4, 1, 2, 3, 6, 7, 8, 5, 9. Qua ratione etiam id explicatur, quod in V codice primam et secundam primi libri epistulas non esse diximus; nam hae cum prima quattuor archetypi folia explerent, illis perditis perierunt ipsae. — Praeterea in V codice in ep. III 3 post verba *liberiorem fecisset iniuriam* quae sequuntur usque ad verba *fragmentis funerabantur (Sed quid ego)* omissa sunt, item ep. VI 12 *querimonia movet saepe (terseris)* multo maior incipit lacuna, quippe quae ad ep. VII 5 *(ut sacro) sanctam sedem* extendatur. Haec rursus octo archetypi foliis erant scripta Post ep. VII 5 ponuntur ep. VII 8 et VII 9 — sicut in A, qui ordo mihi quidem magis placet quam vulgatus —, quae octo folia explebant, deinde omissis epistulis 6 et 7, quod quattuor foliorum est spatium, ep. 11, tum 10, quarum utraque unius est paginae, postremo 12, quae uno folio

scripta erat. Post ep. 9 non recte libri VII ponitur initium. In octavo libro ep. 2 omittitur, post ep. 8 liber VIII incipitur. His duobus locis tamen breviores quam in aliorum librorum initiis recte constitutis sunt tituli.

Codex Holmiensis, quem littera **H** notavi, oblongus saeculo XI sine dubio est scriptus; nam in hoc quoque antiquior *a* litterae forma reperitur, *ae* aut *ę* saepissime ponitur, *ii* fere nusquam; praepositiones atque etiam alia vocabula cum sequentibus coniunguntur. Fol. 117b desinit carm. 7 (*duxerunt saecula pensis*); ante carm. 6 tamen carm. 8 (*Prisce decus*) scriptum est. Sequenti pagina exarati sunt Ausonii de XII Caesaribus versus 40 (*Caesareos proceres — sed iusta piacula fratrem*), deinde non eadem manu alii versus. Post ep. VI 10 vacuum spatium unius fere paginae relinquitur, deinde alia manu, antiqua tamen, scripta est ep. VI 12. In libro VII post ep. 5 dimidia pagina scriptura caret, sequenti incipitur ep. 6, deinde ep. 7, tum ep. 12. Post hanc repperi ep. VI 11, quae suo loco omissa erat; multis erasis hae deinceps sequuntur: 8, 9, 11, 10, 13 ceterae. Ep. VIII 2 in margine addita est. In secundo carmine v. 183 et q. s. desunt.

Bernensis codicis n. 285 (**b**), qui est saeculi XII, magnam partem ipse contuli. Qui tamen cum H codici sit simillimus, si non ex eo descriptus,*) vix dignus est qui accuratius describatur. Id tamen dictum velim ep. 2—6 libri VII duobus diversis locis exscriptas esse (fol. 56 seq. et 97 seq.)

Praeterea hos codices Romae partim ipse inspexi, par-

*) Hoc ut suspicer multa me movent, vitia praecipue in duobus simillima, ut ep. I 6 *vineae palmitem* pro *vineam palmite*, *forsor* pro *fossor*, *num* pro *non*, cui in H *num* superscriptum est, carm. 2, 159 *ex esira* pro *ex Ephyra*, 161 *prime ebia* pro *Prienaee Bia*, *tuba* pro *turba*, v. 162 *lesbos epittace* pro *Lesbo sate Pittace*, v. 165 *amacharsis* pro *Anacharsis*, v. 170 *acroso* pro *arroso*, v. 171 et 172 omittit b sicut H et v. 170 ex v. 172 pro *Cleanthes* ponit *Platonis*, in carm. 7, 224 et 225, ubi in extr. posita sunt verba *amicum* et *repulsam*, illud et *pulsam* in H codice in fine v. 220 collocata sunt, in b autem eadem ipsa omissa; similem ob causam in b omittitur in v. 298 *ab ira* et v. 318 *quieto*, in v. 309 pro *est te* in H scriptum est *estie*, in b *est*.

tim A. Mauius vir doctissimus meo rogatu excerpsit. — Idem plurimis locis de quibus disputabo A et V inspexit, si quid mihi vel levissimis de causis dubitandum videbatur. —

Codex Reginensis n. 202 (U) saec. XI 8:o. In hoc eadem atque in V omittuntur his locis: ep. III 3, ep. VI 12—VII 5, ep. VIII 2; et eundem in libro VII tenet epistularum ordinem, item post VIII 8 libri VIII ponit titulum. Desinit ep. IX 6, quam sequitur vita Sidonii.

Codex Reginensis n. 203 (R) saec. XI—XII 8:o. Hic codex in epistulis VI et VII libri collocandis prorsus cum H consentit, in VIII libro ep. 1 et 2 transponit, carmina vero omnia habet.

Codex Reginensis n. 166 (X) saec. XIII 8:o in libro I non pauca omittit (I 2 *computat gestare* — I 10 *suae me id est*), desinit ep. IV 20.

Codex Reginensis n. 209 (Y) saec. XII 8:o ep. I—III continet.

Codex Reginensis n. 216 (Z) saec. XII 8:o codici R similis est, H codici etiam magis similis, quia eadem in carm. 2 omittit neque plura habet carmina.

Codex Reginensis n. 412 saec. XII 8:o maior. haec omittit: ep. I 2—5, III 3 (*Taceo deinceps* et q. s.), III 5—8; ceteroquin similis fere est V codici.

Codices Vaticanus n. 1661 saec. XIII—XIV, Ottobonianus n. 2013 saec. XIII—XIV, Urbinas 1515 s. XV.

Florentiae hos ipse codices inspexi et excerpsi, qui ut postea in meum usum accuratius examinarentur, mihi non contigit.

Codex Flor. ex bibliotheca Marciana in Laurentianam translatus n. 554 (F) saec. X—XI scriptus. In hoc codice eaedemque atque in V fuerunt lacunae, postea vero addita sunt quae omissa erant; nam in initio codicis haec sunt ep. VIII 2, ep. I 1 et 2, pars ep. III 3 (*Taceo deinceps* et q. s.); tum demum (fol. 6 a) ep. I 3 ponitur. Ep. III 3 *liberiorem fecisset iniuriam (Taceo deinceps)* in margine scriptum repperi: *deest tota pagina sed require* et q. s. Ep. VI 12 (*saepe terseris*) post trium versuum spatium

vacuum sequitur ep. VII 5 (*sacrosanctam sedem — potuisse) si quam paratus.* In fine decimi quaternionis hoc iubet librarius: *torna totum quaternionem ad tale signum:,* in interposito quaternione incipiuntur *saepe terseris* etq.s.(ep. VI 12). Haec omnia cum iis quadrant, quae de V codice eiusque archetypo exposuimus. Post ep. IX 6 quae sequuntur alio atramento sunt scripta.

Codex Laurentianus XLV 23 (**L**) saec. XII scriptus. Hic quoque codex inter lacunosos referendus est et desinit ep. IX 6, sed in initio (fol. 2b usque ad fol. 19b) partem carminum habet.

Codex Laurentianus XLV 26 saec. XII—XII scriptus.

Mohrius (Act. Soc. phil. Lips. tom. V pag. 336) Bernensem n. 285 videtur novisse, quem a Woelfflino collatum saec. XI—XII esse existimat; praeterea ut lacunosum commemorat Helmstadiensem n. 486, nunc Wolfenbuttelanum sac. XIII, in quo carmina epistulis interiecta et alia quoque in epistulis et carminibus transposita esse dicit; Bernensi autem similiorem esse Bruxellensem saec. XIII.

Vetustiores atque meliores Chatelainius cognovit codices. Nam in ea quam iam dixi commentatione et AVRFL et notis non distinctos alios, quos descripsi, enumerat, atque Matritensem saec. XI. Gallicos codices omnes videtur pervestigasse, ex quibus Parisiensem n. 18584 saec. X littera **N**, Paris. n. 2168 saec. XI litt. **O**, Paris. n. 2781 saec. XI litt. **P** significat. Paulo uberiorem horum et aliorum codicum gallicorum notitiam ex editione Bareti cepi. Ac **N** quidem ille inter lacunosos refert, item Paris. n. 2170 saec. XII, qui Claudii Puteani fuit, n. 2784 saec. XIII, n. 3477 saec. XIV, n. 6360 saec. XIV, n. 14296 saec. XIV; in quibusdam eorum lacunas postea expletas esse dicit. Non multum iis dissimiles hi videntur esse: Paris. n. 14490 saec. XII, Montepessulanus n. 445 saec. XII—XIII et n. 541 saec. XII—XIII, item Claromontensis n. 195 s. XI.

O codicem, quem prorsus neglexit Baretus, X codici similem esse suspicor.

Epistulae et octo prima carmina sunt in his codicibus, qui cum H comparandi sunt: Paris. n. 2782 saec. XII, ubi eadem est in carm. 2 lacuna, n. 2171 saec. XIII, Montepess. n. 4 saec. XIII, qui Franc. Pithoei fuit. In hoc et Paris. 2782 sunt 40 illi Ausonii versus.

Omnia opera Sidonii inter Parisienses codices hi soli continent: P et Paris. 9551 saec. XIII; verum in illo ep. VII 6 et 7 omissae sunt, in Paris. 9551 liber epistularum primus mutilatus videtur (Baret. ed. pag. 164). Hos duos, quos optimos censet Baretus, Chatelainius quoque saepius commemorat. P codicem tamen, cum ep. VII 6 et 7 omittat, similem esse vel potius, antequam correctus esset, fuisse suspicor codici V. Neque vero ex eo aut ex Paris. 9551 quidquam memorabile attulerunt Baretus et Chatelainius.

Addo ex libro, qui inscribitur Catalogue général de manuscrits des bibliotheques publiques des départements (Tom. IV), codicem Abrincensem (Avranches) n. 242 saec. XII, qui non dissimilis videtur V codici et versus Ausonii habet.

De editione principe et aliis vetustissimis, quae lacunosi codicis speciem, ut videtur, exprimunt, de codicibus Wouwerii Savaronis Sirmondi Elmenhorstii multa quidem dici possunt, quae tamen a me melius praetermittuntur, qui non id egerim, ut emendationis Sidonianae historiam conscriberem. Atque inter omnes codices, quos illi nominatim appellant et lectionibus allatis qualicumque modo sub oculos ponunt, unus, si omnino etiam nunc exstat, dignissimus est qui cognoscatur. Savaro enim in editione sua post elogia Sidonii nonnulla ex manuscripto Nanzii attulit, quae in reliquis omnibus quotquot legisset deessent. Sunt autem eius modi, ut praesertim si in vetusto codice reperta sint, nonnihil utilitatis ad libros Sidonii emendandos allatura esse videantur. De duobus locis infra (137 et 217) disputabo, tertium hic exscribam uncis ea includens quae in illo codice solo exstare dicit Savaro, Wourius ex optimo suo interiecit: ep. VII 5 *proinde quaeso ut officii mei novitatem pudorem necessitatem spectatissimi ad-*

ventus tui [muneres indultu et inter tantos motus partium factiosarum laborantem me fluctuantemque consilio confirmes, collegio informes,] ornes contubernio, tuteris auxilio.

Codices nostra aetate a viris doctis commemoratos vel dicam omnes fere codices Sidonianos, ut iam ad eos aestimandos atque inter se comparandos transeam, facile in classes describi posse arbitror. Nam, si paucissimos quosdam et eorum, qui vetustiores neque tamen veterrimi esse dicuntur, ut Matritensis et O, qui mutilatus est, et recentissimorum excipias, cum nemo quidquam sola sive horum sive illorum auctoritate nisus emendaverit, vel ex iis quae iam exposui facile apparet iam ante decimum saeculum duplicem fuisse exemplarium speciem, alteram integram, alteram mancam ita ut archetypi quaterniones sive primum, sive medios quosdam, sive ultimos, sive hos omnes non exscriptos haberet, non integros autem codices in unum redisse exemplar, in quo quaternionibus detractis foliisque transpositis multa in sexto et septimo libris turbata essent — nam de aliis lacunis nihil adfirmo. Ex prioris speciei libris paucissimi, qui quidem nunc exstant, videntur fluxisse, qualis est A codex, ex posterioris multi ac plurimi qui nunc exstant, lacuna in aliis manente, in aliis ex integro quodam codice expleta; illius generis exemplum codices V et N praebent, huius H et F, qui paulo recentiores sunt.

Post undecimum saeculum mixtum illud genus a librariis saepius redditum esse verisimile est, idque in P et Paris. 9551, qui pro integris habentur, factum esse suspicor. Neque enim hi lectiones ullo modo insignes, ut ita dicam, videntur exhibere; qua de re conferenda sunt quae suis locis attuli, ut **32. 134. 149. 159. 249. 276. 299. 315. 366. 367**; immo deteriores se non semel praebent, ut **36. 288. 376. 378. 382. 395**, aut inter se dissentiunt, ut **80. 230. 375.**

Sed dixi ad nonnullorum codicum non integrorum speciem conformandam multum valuisse integri archetypi usum, et adduntur non raro in iis variae lectiones. Verum ne his quidem vestigiis ad codicem vetustissimo A antiquiorem melioremve duci videmur; cui si quando in talibus

locis dissimiles illi sunt, pares se vix umquam praestant, de quo conferantur **12. 14. 43. 92. 101. 123 (159) 181. 187. 208. 244. 281. 292. 297. 345. 362. 376. 394.**

Ne quis tamen putet ad ipsum A codicem vel alium quendam ex eo descriptum libros non integros redire, vel id commemorare sufficit, interdum in his exstare quae in A omittuntur, ut ep. VI 12 (Baret. ed. pag. 355) *secundum tamen moralem sententiam*, atque nonnumquam accidere ut in his vel in aliquo eorum verum inveniatur vix coniectura repertum aut vestigia melioris lectionis ex archetypo servatae, in A corruptae, sicut (**38**). **90**. (**98**). **192. 218.** (**254**). **294. 315. 360. 368.**

In A vero codice verba Sidonii ad archetypi exemplum multo accuratius expressa esse cum ex iis quae iam attuli nemo non praesensit, tum omnes sibi persuaderi patientur collatis iis locis haud ita paucis, ubi solius A codicis lectiones cum aliorum lectionibus comparatae si non ubique anteferendae, at memoratu dignissimae sunt. Quos hic uno in conspectu omnes videre fortasse non displicebit. In eorum numerum eos quoque referendos censui, in quibus alii codices quam qui nostra aetate noti esse videntur cum A consentiunt; ac fieri potest ut etiam ex iis qui nunc exstent, si accurate inspecti erunt, eaedem lectiones principales adferantur. Ubi A codicis lectionem meliorem duco unum asteriscum appono, ubi prorsus necessariam duos: **7**** (ep. VII 3). **10**. 24. 26*. 27*. 46**. 53*. 58**. 65*. 66. 67*. 71. 77.** (**80***). **85.** (**87**). **89. 99*. 100**. 101**. 106. 108**. 117*. 120*. 143*. 154*. 160*. 161*. 162*. 166*. 177. 182*. 193*. 197*. 198*. 200. 203. 211*. 226*. 234**. 239*. 240*. 241. 250*.** (**254***). **266*. 270. 277*. 279*. 293*. 296*** (ep. VII 14). **304*. 305**. 306**. 310**. 316**. 334*. 338*. 340. 345*. 346*. 347*. 352**. 354*. 355. 365*. 366*. 390*. 397*. 399*. 400*. 402**.** (**405****). **406**. 407*. 410**. 412*. 413**. 414**. 415**. 417**. 418*.** His locis unum adiungam, qui iam hic commodius tractabitur. Ante praefationem panegyrici Maioriano dicti (carm. 5) in H et b (in R deest titulus) inter alia errore minime dubio scribitur *Sidonii sextus panigericus*; nam in A codice archetypi servatur lectio *Sidonii V. C. panigerici* (praefatio), ubi se-

cunda manu *V* superscriptum est *iri*, *C* autem *lari;* ex *VC* factum videtur *VI*, ex eo *sextus*. Hoc denique addo rarissima esse in A certa interpolationum vestigia exceptis quae in aliis quoque codicibus reperiuntur. Neque id, de quo pag. 116 (**398**) mentionem feci, *Musa mihi* et q. s. corrumpendi causa, sed fortuito post addidit A codicis scriptor.

Restat ut de vitiis codicum quid sentiam breviter dicam. Nam in ipsa disputatione ea non fere attigi, nisi cum emendandi dabatur occasio. Antea tamen de nominibus Sidonii commemoratum volo in A in extremis epistularum libris sic scribi: *Gai Solli Apollinaris Modesti Sidonii*, in quinto tamen et septimo libris extremis omissa esse nomina scriptoris praeter *Sidonii* nomen, in aliis vero codicibus deesse *Modesti* nomen, post carmina quoque 3 et 5 hoc in A esse, post carmen 3 in H et b reperiri S.MO'DESTI. A. SIDONII. Ultimo loco recte poni *Sidonius* demonstravit Sirmondus, qui in quibusdam codicibus ait esse *Modesti* nomen eo loco, ubi in A est, "nec insolens fuisse ea aetate ut quinque unius essent vocabula"; comparat praeterea ep. IX 12 extr. (Baret. p. 472), ubi Sidonius hoc dicit: *neque enim suffragio tuo minus augear, si forte digneris iam modestum potius quam facetum existimare.* Quibus de causis adducor, ut Modesti nomen recipiendum esse existimem.

Ex mendorum similitudine cognationem, quae dicitur, codicum editores iure solent definire. Sidonii autem codices ad unum atque idem exemplar iam vitiis corruptum referendos esse quamquam apparere puto, tamen cum solos tres codices totos contulerim, prorsus certis testimoniis nequeo confirmare. Menda archetypi in ipsa disputatione indicavi his locis: (**98**). **137. 148. 149. 164. 189. 207.** (**217**). **230. 243. 249. 256. 258. 262. 299. 302. 324. 336. 367. 368**, quibus adiungam ep. VIII 4 (425) *iam palam religiosa venerandus iugo salubri colla pariter et corda subdare,* ubi miror neminem, quod sciam, editorum *subdere* scripsisse.

Multis vero locis, quos hic enumerare nihil attinebit, id demonstrasse mihi videor, A codicem mendis minime omnium esse vitiatum, non integros autem, quo quisque sit

vetustior, eo melius archetypi servavisse speciem in difficilibus praecipue locis, recentissimorum autem codicum librarios saepe veram lectionem corrupisse vel ipsorum opinionibus vel vetustiorum corruptelis in errorem inductos. Totam autem eam quam in codicibus aestimandis inii rationem ut amplius etiam confirmem, ex particula primi epistularum libri Bareti editionem secutus vitia enumerabo AHVb codicum omnia, levissimis tamen exceptis, ceterorum codicum ea quae adnotavi. Quae uncis inclusi e Wouwerii editione sumpta sunt.

Ep. I 3 (186): I nunc et legibus V *ex* superscriptum — [legibus, MS. 4 *legis*] — (187) move V *novē* sup. *move* — proavus A sup. — hactenus A *.actenus*, H *actenus* — Tribunitius V *tribunicius* — *generositas* sed *qui* (A et V *s&*) [MS. Vict. *licet qui*. Ortel. *scilicet*] — despiciebant V *dispiciebant* — [suspiciunt: al. *suscipiunt?*] — [ille obiter: ita plerique MS. Vul. *arbiter*] — aures V *aure*, membrana laesa — rauci voce A *raucivoce* — in eum A *ineum* — deputantur V *deputa ... ntur* — quam participandam V *que participanda*, sed *m* et sequens *deposceris* propter membranam laesam desunt, item paulo post *sarcire* dispendium *ne* et *concilium veneris* — antiquati b *antiqui* (sup. *vel qua*) — in concilium AH *inconcilium*, b *consilium* (sup. *vel c*) — Ep. I 4 (188) Macte L ut saepe prima littera falsa *h* — partes L *partes* (sup. *i*) — dote A *doçte* — ut titulis V *uttitulis* — potiare A *pociarē* — maternos A *mater nos* — largitiones A *largiciones* — pecunias V *peçcunias* — e contrario AHV *econtrario* — spectata V *expectata*, F *..pectata* (sup. *s*) — admissa V *amissa* (sup. *d*), b *admisa* — o terque H *otque* — de cuius H *decuius* — culmine A *..culmine* — poena (sic A) *pena* HV — si qui sunt AH *siquisunt* — qui te H *quite* — deinceps A *deincebs* — aemulabuntur (sic H) AV *emulabuntur* — si te HV *site* — sequuntur A *consecuntur*; HVF *secuntur* — mihi H *michi* — in invidis AV *ininvidis* — inertibus V *inhertibus* — [fastidium MS. 2 *studium*] — a desperatione AH *adesperatione* [lib. meus. *cum desper.*

MS. 1 *cum reapse ratione*] — crescendi H sup. — ferias inhonoratorum V *in phrigiis; honoratorum*, idem in F videtur fuisse, L *inhonorato..* — vitio V .....*vicio* [t], H *vicio* — *cuius appetitus* cfr quae pag. 11 diximus (26) — adolescentum VF *adulescentum* — (189) declamatiunculas A *dedamatiunculis* [a], V *dedamatiunculas* — porrecta A *prrecta* [o] — sed hinc (A *s&*, V *s;*) [MS. Vict. *scilicet*] — ista haec A *ista h̄..*, V *ista* [h] *aec*, b *istis hec*, L [istis] *haec* — me tibi V om. [*me non tibi* MS. 1.] — *Vale* (vel *val̄*) addunt H R Z b V U F, omittit A sicut etiam Baretus.

Praeterea ex primo libro haec menda paulo memorabiliora adferam: ep. I 1 (173) [consiliosissimus lib. 1 *instructissimus*] — pro praesumptuosis, quod est in L et Paris. 9551 et fuit in F, in A H R P Paris. 3477 fortasse non minus recte scribitur *praesumptiosis* — (174) Titianus A *Ti.tinianus*, H, ni fallor, et R Z F X *titinianus*, Z *titiniamus*, b *titimanus*, *ticinianus* ex N P Paris. 9551, 2782 Montepess. 4 adfert Baretus, ex Paris. 3477 *Tyciani-tii*, in L repperi *Iulius "i papensis" titinianus*, quo mendum explicatur — consectaneum A L *consentaneum* — (de *parum* cfr pag. 1) — versuum F marg. *rpme dictat.*, paulo post verbis *iampridem in* L codex superscriptum habet *dictatorū*, id ante *in* ponit b — editorum b *eruditorum*, H F *e...ditorum* — (175) [lividorum vulg. *liuidulorum*]. — Ep. I 2 Theodorici Baretus, A H R b F *Theoderici* — [laudans in te tam delicatae sollicitudinis *ingenuitaten. Igitur vir est:* alii lib. *laudaturus vitae in te tam dulcatae sollicitius ingenuitatem. Ipse igitur vir est*] — [paululum plerique M S. *in patulum*] — gentis est A *ēst ḡentis* — (176) fruticantibus b *fructificantibus*, A *fru.ti..cantibus* — iuvenili H L F [MS. 3] *iuvenali* — vigor A *niger* — [sellam MS. Victor. *sedem*] — (177) *aut venanti* monstres: hoc in L F superscriptum, cfr. quae dicuntur pag. 6(12) — (178) illo sabbatario A F inverso ord. [*subactorio* C. Dan.] — [*hortatur* ad ludum MS. Vict. *ad ludendum*] ex antecedentibus — (179) subitae A prius *subito*. — Ep. I 5 (182)

[Heronio lib. 2 *Herenio* cfr. ep. I 9 „lib. 2 *Herenio* l. *Heremonio*"] — [Ilicet Vict. *illicet etsi*] — [replicatione al. *refricatione*] — Rhodanusiae A H V F *Rodanusiae* [MS. 2. *Iordanusiae*] — moram vianti A H V F transp. — callem L prius *vallem* — (183) ascendi F sup. *vel e* — commessaliter A *comessaliter* [lib. 1. *commessabiliter*] — [caerulum quidam libb. *ceruleum*] — *paulum* A aliud *lu* sup. — [ripae thorique Opt. Cod. *ripae & ore*] — fruticaverant [Opt. C. *fructificaverant*] A. *fru..ti..caverant*] — est olim A H R V L F transp. — remex V *remis*, *remix*[vel mes] H F (b) — (184) *pars* et *pars* V *pras*[r] et *pras* — [mercatui Vul. *mercantium*] — Flaminiae oppida [Opt. C. *flumina et oppida*] — (185) Atabulus A (et V) *atabulis*[u] — explosum F recentissima manu *explsū* additur — (186) filia [lib. 3 Pith. *filia Ascella*] — latere conducibilius visum V *l&are*[l] *conducibilius*[b] *usum(?)*[s. ēē], haec F in rasura — seriarum V *suarum*, idem primum in F, deinde *seriarum*, tum rursus falsum illud — honoratus V *honerat9*, F in rasura illud, sed sup. *vel e* — [migravit MS. 3. Vict. & alii 2. *pervenit* — vacationem, V *occupationem*, F illud in rasura. — Ep. I 6 (180) concupiscebam Wolfenb. *conspiciebam* (Mohr.) — trepidum A *tepidum* — te iners V *te inhers* [MS, *temet iners*] — domicilium A *domicilia* — totius V *totius* — [orbis *mundi*, *urbis*] — semet peregrinatum b interponit *ipsum* — (181) *pingui* MS. 2. *pigro* — non nequiter te A H F primis manibus sup. *s*; *iuste*, illud in rasura F habet, V *non nequit* ...... *ut* — premet V *premat*, in A prim. m. sup. *supergreditur*, in H et F *supergredietur* — Vale A H R Z L, non V. — Ep. I 7 (189) Arvandi [Colvii liber et MS. 2 *Servandi*] — (190) [discinctus MS. 1. *defunctus*] — *comite sacrarum largitionum*, quia non est in Wolfenbuttelano codice, a Mohrio (Act. Soc. phil. Lips. V 337) pro glossemate haberi miror — nuper extortae V *nuper exortate extortae* [Opt. lib. *nuper ex ore*] — [scientia Opt. lib. *copia*] — [cum gestis MS. Vict. 2 *congestis*] — (191) [correptus Vict. 1 *correctus*] — dissuadens A ex *dissudans* — maiestatis A *magestatis* et

sic non raro — metuenti V om., F sup. — (192) *curandam* V post hoc complures litterae erasae, in F nihil tale repperi — [a decemviris HS. 2. *ad esse viris*] — concito MS. 3. *concitato* — (194) [nos quidem vulg. *nos quoque*
turres
quidem]. — Ep. I 8 (195) *ventres* HRFU — nautae Baret. solus pro *naves* — milites HZVUL [Victorini lib.]
vel monachi
monachi, illud H sup., F in ras., b *milites* — foederati HbVF male expl. *mariti*. — Ep. I 9 (197) sera numerositas praedicabatur [Vulg. *sena*. MS. 2. *seria morositas numerabatur*] — distringeretur [Vul. *distraheretur* — [ambientum A *ambientium* — (198) ilicet V *scilicet* — onere pressaris H *pressseris*, illud ex libr. 3 & lib. Danielis Wouwerius adnotat, ipse edit *mole gravaris* — senatui suo AHRZVY [MS. v. & lib. Dan.] ita, Wouwerius *senatu suo* edit, *senatus sui* ex lib. Pith. adnotat — scio. Atque AHRZVFL *Scio atque* — fragor: Baretus solus *favor*, item (199) *quod ipse* pro: quod hic ipse — *Clius* A *clios*, HbVF addunt *vel clios* — [tetrica Vul. *iocula*] — iubeas ilicet V in ras. om., F sup. — cinctuti A fere *cinctrti*, [lib. 2 *coetus*, alii MS. 4 *cinctuti*, Opt. C. *cunctim*, ipse edit *cinctui*, *cinctutim* conicit] — Ep. I 10 statuistis H m. sec. corr., b *statuisti* — (200) causamque A *famamque*. — Ep. I 11 *amici* om. b — praesumptiosum HVF (ras.) L, *praesumptuosum* A et sup. V — Salutanti [Opt. C. *manu ducente*] — (201) auctoribus Wouw. *concitatoribus* edit, illud ex Vict. adnotat — [festinam lib. 2 *festinans*] — *amicos* om. b — *rem textam* V *rgextā* marg. ṙ — (202) hiantis interregni rima A *eius rima*., V *rimas*, H.... *rima*, marg. *int̄ hiantis* [Vict. *inter ihiantis regni*] — *Igitur iste sic* A *ille* — 203 confinxit et perscripsisse A marg. [a vet. Daniel. absunt], V autem *scripsisset confinxit et per* marg., non HRZUFLY — dexteras AHbV *dextras* — (204) *inter* ingentes A *gentes* — Gratianensis: post hoc multa in b omittuntur usque ad sequens (205) *Gratianensis — finita* Paris. 14490 *functa* (Baret.) — [compellatio lib. 2. *interrogatio*] — 205 obtigit V *optigit*, AHX (non RZ) *attigit* [fere omnes

libri: Colvius] — [*standi locum* Opt. C. *respondendi*] — poscerem [lib. 3; ipse *postularem* sibi videtur edidisse] — stibadii A H F L *stipadii* — (206) periniurium A *periurum*, V F *per iurium*, F sup. *in* — alia pauca A *alia* sup., V utrumque verbum, praeterea in H V F explicandi causa add. *dixeramus*, talia non semper hic commemoravi — praefectorii A *praetorii* — (207) *Vale* om. Baret. L X Y, ponunt A H Z b V F.

Locos scriptorum latinorum praeter Sidonianos qui ordine servato commemorantur hos tractavi:

Sidonii	ep.	VI	12	pag.	XII
„	ep.	VII	5	„	X
„	(ep.	VII	6, 7, 8, 9	„	VI)
„	ep.	VII	14	„	82
„	ep.	VIII	4	„	XIII
„	carm.	5	titul.	„	XII
Apulei	metam.	VII	16 (195)	„	3
„	metam.	VIII	16 (208)	„	113
„	metam.	X	30 (255)	„	42
Statii	Achill.	I	330	„	122
Symmachi	ep.	III	6	„	47.

Ep. I 1 (ed. Baret. pag. 173). *Sed scilicet tibi parui tuaeque examinationi has non recensendas (hoc enim parvum est), sed defaecandas, ut aiunt, limandasque commisi sciens te immodicum esse fautorem non studiorum modo, verum etiam studiosorum.*

1. *Parvum*, quod in A H R F scriptum est, Savaronem et Elmenhorstium recte retinuisse censeo; *parum*, quod a Wouwerio Sirmondo Mignio Bareto est receptum, ex recentioribus libris X Y Z adnotatum est, quorum ex uno saltem Z, quippe cum ab H et R discrepet, non levius possis alterius lectionis sumere argumentum quam eius, quae in ipso codice est. Dicit Sidonius Constantium tam sibi favere, ut ei epistulas suas non solum examinandas et recensendas, quae parva et facilis res sit, sed ne emendandas quidem tradere dubitet. *Parum* hoc loco simili, quamvis non prorsus eodem modo poni fortasse potuit atque *parum est quod, parum est ut*, cetera, ut significaret recensionem non sufficere, accedere oportere emendationem. Sed id ipsum a librariis nonnumquam videmus pro adiectivo *parvum* positum; cfr quae dixit Madvigius ad Cic. fin. V 30, 91.

Ep. I 2 (175). *Si forma quaeratur, corpore exacto, longissimis brevior, procerior eminentiorque mediocribus. Capitis apex rotundus, in quo paululum a planitie frontis in verticem caesaries refuga crispatur. Cervix non sedet nervis. Geminos orbes hispidus superciliorum coronat arcus. Si vero cilia flectantur, ad malas medias palpebrarum margo prope pervenit. Aurium legulae, sicut mos gen-*

tis est, crinium superiacentium flagellis operiuntur. Nasus venustissime incurvus. Labra subtilia nec dilatatis oris angulis ampliata. Si casu dentium series ordinata promineat, niveum protinus repraesentat colorem. Pilis infra narium antra fruticantibus quotidiana succisio. Barba concavis hirta temporibus, quam in subdita vultus parte surgentem stirpitus tonsor assiduus genas adusque forpicibus evellit. Menti gutturis colli non obesi, sed suculenti lactea cutis, quae propius inspecta iuvenili rubore suffunditur. Namque hunc illi crebro colorem non ira, sed verecundia facit.

2. Verba *exacto corpore* solus transposuit Wouwerius.

3. In verbis *cervix non sedet nervis* et nimia brevitas me offendit et ipsa sententia. Nulla enim cervix non sedet nervis, nisi forte, quid possit hoc loco esse *sedere*, prorsus ignoro. Neque Fertigius in programmate Virceburgensi a. 1845 (pag. 28) recte vertit: der Nacken sitzt nicht in den Nerven. Dicenda erat cervix prominentibus vel surgentibus vel rigidis vel torosis vel forte nodosis non sedere nervis, si quid eius modi cogitatum erat, quod in gallicorum interpretum versione his verbis reperitur expressum: des nerfs saillants ne viennent point déparer son cou. Quocum conferenda est haec Savaronis explicatio: cervix succulenta est, ut non emineant nervi; in eius ipsius editione contrarium tamen typothetae, ut videtur, culpa ponitur: *cervix non sedet enervis*. Sed, ut iam dixi, non minus displicet nimis brevis verborum comprehensio. Ex codicibus vix quidquam adferri potest, quo facilior reddatur emendandi conatus, nisi quod in Pithoei libro manuscripto post *non* lacunam esse adnotat Wouwerius. Hoc addo in H *sedet nervis* in contextu verborum omissum in margine adscriptum et in A Z X Y post *cervix*, in U post *sedet* interpunctum esse. Mihi hoc in mentem venit: *cervix non setis solum obsessa sed et nervis*, quod quibus de causis corruptum sit facile intellegitur. Seneca (dial. II de const. sap. 18, 1) de C. Caesare hoc, quamvis ei vitio sit datum, dixit: *adice obsessam setis cervicem;* nec raro et *seta* de hominibus dicitur (Ovid. Met. XIII 849 *barba viros hirtaeque*

decent in corpore saetae) et eodem fere modo atque illo quem attuli loco Senecae ponitur *obsidendi* verbum (etiam Apul. Met. VII 16 (195) nescio an scribendum sit *terga pulposis torulis obsessa*, ubi *obesa* et *obexa* ex codicibus allata vidi). Neque ab illo quod conieci id abhorret, quod paulo post narratur collum regis non obesum, sed suculentum fuisse. Immo Columella VI 2 hoc dicit: *habilis enim et modica corporatura pecoris operarii debet esse nervisque et musculis robusta, non adipibus obesa;* neque *sucus* corporis pinguitas dicitur, sed vis vigorque; sic Apuleius *suculentam* appellat et *arvinam* (X 15, 245) et *gracilitatem* (II 2, 115).

4. Quae paulo post litteris latius dispositis expressi absunt a plurimis codicibus A H R Z b U F L Laur. XLV 26, in recentioribus X Y exstant verbo *ipsa* ante *colorem* posito aucta. Et sic a Wouwerio Savarone Elmenhorstio edita sunt, *ipsa* a Sirmondo Mignio Bareto prudentius omissum est. Savaro haec adnotat: hunc dissutum panniculum ex Amar. & Pith. mss. adsui, quod ut audacter facerem, Radeuicus impulit. Pithoei libros, quos imperfectos esse Savaro in praefatione dixit (cfr Baret. ed. pag. 165), vix dubito negare aut aetate aut genere illis, quos modo attuli, meliores esse. Itaque, quod nunc quidem sciam, eiusdem saeculi sunt illa verba atque ipsius Radevici vel potius Ragewini libri de rebus gestis Friderici regis (cfr quae dixit Rog. Wilmansius in Monument. Germ. hist. tom. XX pag. 341; Petrus Pithoeus quoque in editione Ottonis Frisingensis librorum Basil. 1569 haec Ragewini adfert nomina: Ragauinus Regouinus Rigouinus Radeuinus Radevuinus).

Hunc in formae morumque Friderici regis descriptione Sidonium imitatum esse et ipsa verba eius exscripsisse constat. Atque in initio quidem tres sententias totas ex hoc loco Sidonii sumpsit. Quae sequuntur quo modo ad suum usum converterit, cum hunc locum examinantis intersit cognoscere, Ragewini verba, quae huc pertinent, adscribam: „forma corporis decenter exacta; statura longissimis brevior, procerior eminentiorque mediocribus. Flava caesaries, paululum a vertice frontis crispata. Aures vix su-

periacentibus crinibus operiuntur, tonsore pro reverentia imperii pilos capitis et genarum assidua succisione curtante. Orbes oculorum acuti et perspicaces, nasus venustus, barba subrufa, labra subtilia nec dilatati oris angulis ampliata, totaque facies laeta et hilaris. Dentium series ordinata niveum colorem repraesentant (non: repraesentat). Gutturis et colli non obesi, sed parumper succulenti lactea cutis et quae iuvenili rubore suffundatur, eumque illi crebro colorem non ira, sed verecundia facit." Ex quibus nihil ad cetera Sidonii verba emendanda hauriri poterit; etiam his quae tractamus illustrandis num quid adferatur dubito. Atque id quidem apparet tam multa imitatorem addidisse ipsum, ut etiam illud *dentium series ordinata niveum colorem repraesentant* excogitare potuerit. Immo melius id est quam quod a Sidonio scriptum esse existimant. Nam quid hoc est: *casu prominere dentes* et tum *protinus niveum colorem repraesentare?* Ac ne repraesentandi quidem verbum eodem iure a Sidonio atque a saeculi duodecimi scriptore hac sententia dictum putandum est. Nihil dico de *ipsa*, quod non ferendum esse Sirmondus sensisse primus videtur. Ego vero totum hoc delendum esse existimo ex Ragewino inculcatum. *Promineat* falsarius ex iis quae apud Ragewinum sequuntur *humeri paulisper prominentes* fortasse arripuit; in H et F codicum marginibus et in codice Ortelii (vid. Elmenhorst. ed. pag. 496) ad verba Sidonii *recedente alvo pectus accedens* adscribitur *vel prominens*, et paulo post Sidonius ipse *musculis prominentibus* habet.

5. *Forpicibus* ex A H R F (in hoc tamen rasura est) L scripsi; cfr quae de ep. IV 13 dicentur et *forpice* carm. 15, 184 (556).

6. *Suculenti* non solum in F, sed etiam, ni fallor, in A servatum est. Ex H *succulenti* adnotavi.

Ep. I 2 (176). *Si actionem diurnam, quae est forinsecus exposita, perquiras: antelucanos sacerdotum suorum coetus minimo comitatu expetit, grandi sedulitate veneratur;*

quamquam, si sermo secretus, possis animo advertere quod servet istam pro consuetudine magis quam pro religione reverentiam.

7. *Diurnam* recte Savaro scripsit, non *diuturnam*, quod a librariis perverse positum in HRZbFUXY Laur. XLV 26 a Sirmondo retinetur, quem secuti sunt Mignius et Baretus. In Ragewini quoque (cfr pag. 3) codicibus scriptum est: *si actionem diuturnam forinsecus perquiras*, et sic is locus editur. Illud in ALO servatum, in RF post additum non a Savarone solum, sed etiam in principe editione, a Vineto Wouwerio Elmenhorstio alteri lectioni antelatum est, itaque scribendum esse Chatelainius monuit; addo idem vitium ep. VII 3 (415) habere VHRZb codices, in A recte scribi *nunc per nocturna suspiria, nunc per diurna officia distractus.*

8. *Sit sermo secretus* male Wouwerius scripsit, veram lectionem in adnotatione commemorat. De interpretatione huius loci cfr librum Fertigii modo commemoratum (pag. 29 adnot.).

9. *Animo advertere* consentientium AHFL codicum auctoritate ductus scripsi, sicut Savaro et Elmenhorstius. Certum huius usus testimonium adfertur Plin. hist. nat. XXV 2(3), 5 *quo primum tempore hanc scientiam ad nostros pervenisse animo adverto;* cfr Verg. Aen. II 712 *quae dicam animis advertite vestris.*

10. Pro *religione*, quod est in A, *ratione* scriptum est in RZbLX Laur. XLV 26 — de H dubito, sed suspicor esse *ratione* — idem est in editionibus principe Vineti Wouwerii Mignii. Wouwerius et Mignius tamen in libris manuscriptis adnotaverunt esse *religione.* Id ipsum sine dubio rectius opponitur *consuetudini,* quam quis neget potuisse a rege consilio et *ratione* institui? Non aliter editum hunc locum commemorat Buedingerus (Apollinaris Sidonius als Politiker, Viennae 1881 pag. 40). Nec male ita Sidonius scripsisset: pro ratione potius quam pro religione. Huc accedit quod in recentioribus certe codicibus *religio* interdum per tale compendium scribitur, ut integro vocabulo *ratio* simile fiat, neque ex

rōne, quo saepissime compendio utuntur librarii, *religione* pro *ratione* esse effectum aut *ratione* pro compendio admodum raro vocabuli *religione* habitum credibile est.

Ep. I 2 (177). *Hora secunda surgit e solio aut thesauris inspiciendis vacaturus aut stabulis. Si venatione nuntiata procedit, arcum lateri innectere citra gravitatem regiam iudicat. Quem tamen, si comminus avem feramque aut venanti monstres aut vianti fors offerat, manui post tergum reflexae puer inserit nervo lorove fluitantibus. Quem sicut puerile computat gestare thecatum ita muliebre accipere iam tensum.*

11. Primis verbis hoc modo positis: *hora est secunda*: *surgit* et q. s. nescio quam elegantiam huic loco vix aptam affectaverunt librarii in H R Z b X codicibus, approbarunt Wouwerius Sirmondus Mignius Baretus; ego A et L, in quibus *est* omittitur, parere malui. Eodem fere modo paulo post variatum est in F et b codicibus, in illo primum positum est *si venatio nuntiata*, deinde *ne* superscriptum, id vero ipsum in *b* erasum est. Hoc tamen quem tractamus loco ita natum videtur *hora est secunda*, ut, cum post *hora secunda* interpunctum esset (sicut in antecedentium sententiarum initiis post *reliquum mane* in A, post *crura* in H, post *aream dorsi* in A, post *labra* in A, post *cervix* in compluribus codicibus factum est), ea clausula addito *est* in enuntiati formam redigeretur.

12. Verbis *fors offerat* carent A H Z b X Y Laur. XLV 26 Bruxellensis Lipsiensis, item L F. *Sors optulerit* in N esse adnotat Baretus, *deus obtulerit* ex consensu sex librorum se inseruisse dicit Wouwerius, *ds̄ obtulit* a Wouwerio ex MS Victorini allatum ego in margine codicis F et in R vidi; in U *ds̄ optulit* est. *Sors offerat* repertum est in Wolfenbuttelano, in L superscriptum; id a Sirmondo Mignio Bareto retentum Mohrius (Act. Soc. phil. Lips. tom. V pag. 339) in *fors offerat* mutavit, cui assentiri videtur O. Kellerus (Epilegomena zu Horaz II Lipsiae 1880 pag. 422). Sed hoc multo verisimilius est in

archetypo non fuisse — neque apparet cur in venatione potius quam in via rex monstrantis nutu admonitus dicatur —, postea ab aliis librariis alia esse addita, cum alterum membrum his: *aut venanti monstres* oppositum mancum quodam modo atque incohatum videretur. Itaque in R est additamentum, in H et Z codicibus huic simillimis deest. Neque negandum est redundare Sidonii scripta verbis aequabiliter collocatis. Non desunt tamen loci, ubi ex contraria ratione etiam maiorem vim acquirat oratio, ut paulo ante vidimus: *aut thesauris inspiciendis vacaturus aut stabulis*, et paulo post hoc est: *aut nulla narrantur aut seria* et *toreumatum peripetasmatumque modo conchyliata profertur supellex modo byssina.* Cfr ep. I 4 (189) ult. verb. *modo me actionibus iustis Deus adnuens et sospitem praestet et reducem*, II 11 (226) *nec culpa nos debeat manere nec venia*, VII 15 (357) *ut aut vicissim redeatis aut serius*, in primis vero VI 5 (346) *cuius clientem puerosque commendo profectos seu in patroni necessitatem seu in domini; laborem peregrinantum* (ita scriptum est in AH, non *peregrinantium*) *qua potestis ope humanitate intercessione tutamini;* nam hoc loco librarius in V codice conscribendo cum suo arbitrio verba ad numeros alligata hoc modo interpunxisset: *seu in domini laborem; peregrinantum*, id verbum non absolvens *an* in *os* mutato *peregrinos* effecit. Quo loco Savaro et Wouwerius verba Sidonii perversa interpunctione obscurata quo modo ediderint commemorare pudet.

13. *Iam* ante *tensum* Baretus incuria videtur omisisse.

Ep. I 2 (177). *Cibi arte, non pretio placent, fercula nitore, non pondere.*

14. *Pondere* in H superscriptum est priori lectioni *splendore;* hanc recepit Wouwerius. Eandem in Pithoei codice repertam non minus sibi arridere dicit Sirmondus Plinii locum adferens (hist. nat. XXXVII 2,8,21) *splendor est is sine viribus nitorque verius quam splendor.* Minus apte Savaro, ut *nitore* explicet, comparat Isid. orig. XX 4

(in vasculis autem tria quaeruntur quae placeant: manus artificis, pondus argenti, splendor metalli). Nam id pro *splendore* potius adferendum erat. Sed rex ille argento, quod quidem splendet, non caruisse putandus est, sed modico supellectile usus dicitur. Et idem vir doctus prorsus recte mea quidem sententia confert Lamprid. Alex. Sev. 34 *in convivio aurum nesciit; pocula mediocria, sed nitida semper habuit; ducentarum librarum argenti pondus ministerium eius numquam transiit.* Paulo ante a Sidonio dictum est: *si in convivium venitur, quod quidem diebus profestis simile privato est, non ibi impolitam congeriem liventis argenti mensis cedentibus suspiriosus minister imponit. Maximum tunc pondus in verbis est. Pondus* cum ibi scriptum esset, repetitum librariis fortasse displicuit. Neque tamen nego Sidonium synonymis iuxta positis orationis ornandae causa solere uti, tum praesertim cum sonorum quoque accedit similitudo; quod hoc loco non fit.

Ep. I 2 (178). *Quibus horis viro tabula cordi, tesseras colligit rapide, inspicit sollicite, volvit argute, mittit instanter, ioculanter compellat, patienter expectat.*

15. Post *cordi* ab editoribus additur *est*, quod in A H R F L omissum, in b superscriptum est. Cui libro minime parendum est. Itaque *est* ab ipso Sidonio omissum est.

16. Pro *ioculanter* in L solo repperi *iocularitor* scriptum. Ita se Colvius edidisse dicit ex consensu manuscriptorum codicum, cum antea vel *ioculanter* vel *luculenter* legeretur. Eum secutus est Wouwerius, qui *ioculanter* ex duobus libris adnotavit. Id ceteri editores receperunt, quamquam ex hoc uno loco latini scriptoris adfertur. Ego non dubito quin Sidonius propter consonantiam vocum *ioculanter* verbum novaverit.

17. *Compellit*, quod ego conieci, in b repperi; *compellat* tamen ferri posse non nego.

18. *Compellat ioculanter, expectat patienter* ex A R L, inversum ordinem ex H b F adnotavi. Hic fortasse magis

placebit, quoniam *compellat* et *expectat* non eodem modo sunt posita atque *colligit*, *inspicit*, *volvit*, *mittit*.

Ep. I 2 (179). *Circa nonam recrudescit moles illa regnandi. Redeunt pulsantes, redeunt submoventes, ubique litigiosus fremit ambitus.*

19. Ego *redeunt pulsantes, recedunt submoventes* scripserim; *recedunt* propter ea quae sequuntur requiri videtur, nisi forte lictores, qui submovere dici solent, regem Gothorum habuisse putes. Ego ostiarios custodesque dictos malim; cfr, si tanti est, Senec. dial. V de ir. III 37 2, *iratum vidisti amicum tuum ostiario causidici alicuius aut divitis, quod intrantem summoverat.*

Ep. I 2 (179). *Cum surrexerit, inchoat nocturnas aulica gaza custodias. Armati regiae domus aditibus adsistunt, quibus horae primi soporis vigilabuntur. Sed iam quid meas istud ad partes, qui tibi indicanda non multa de regno, sed pauca de rege promisi. Simul et stilo finem fieri decet, quia et tu cognoscere viri non amplius quam studia personamque voluisti, et ego non historiam, sed epistulam efficere curavi.*

20. Huius loci difficultati ita medentur interpretes gallici et Baretus, ut *aulicam gazam* custodes gazae esse dicant, veteres editores ita, ut *casa* scribendum censeant idque excubitorium, cellam vel mansionem excubitorum interpretentur. Sirmondus nihil adnotat. Mihi cum utraque explicatio displiceat, neutram exemplis probari posse existimanti, sic scribendum videtur: *inchoat nocturnas in aulica gaza custodias* atque *inchoat* ita fere dictum ut Plin. hist. nat. XI 16 (16), 51 *reges plures* (apium) *inchoantur ne desint.* Rex custodias ipse quasi initiavit.

21. *Adsistunt* ex A scripsi, non *assistunt*.

22. *Stilo* ex AHF scripsi, non *stylo*.

23. *Quia ut tu* Baretus solus edidit; *et* ex AHR adnotavi.

Ep. I 3 (186). *I nunc et legibus me ambitus interrogatum senatu move, cur adipiscendae dignitati hereditariae curis pervigilibus incumbam; cui pater socer avus p r o a v u s praefecturis urbanis praetorianisque, magisteriis palatinis militaribusque micuerunt.*

24. De proavo Sidonii honoribusque eius Sirmondus a se quidquam lectum esse negat, cui assentitur Buedingerus (libr. comm. pag. 10), et hoc loco in A codice, quod sciam, solo postea demum additum est verbum *proavus*, quod utrum prima manu necne sit factum dubium videtur. Librariorum ut suspicer hoc esse additamentum et aliis locis adducor et ep. I 9 (197) *Avienus si quid poterat in filiis generis fratribus provehendis moliebatur,* ubi post *fratribus* additum est *atque nepotibus* in Wouwerii editione, quod is quamquam novem libris abesse dicit, non dubito quin in aliquo codice reppererit. Savaro in vita Sidonii, quam editioni suae praemisit, ut probet proavum Sidonii aeque illustrem atque avum fuisse, cum multa congerit, quibus quod vult non probat, tum unum adfert locum, quem solum in huius quem tractamus loci adnotatione commemorat, ep. III 12 (241) carm., ubi Sidonius avum, quod primus de gente sua christianus sit factus, laudans haec dicit:

Hoc primum est decus, haec superba virtus
spe praecedere quos h o n o r e i u n g a s,
quique hic sunt t i t u l i s p a r e s p a r e n t e s,
hos illic meritis supervenire.

Sed ne hoc quidem loco diserte et plane dicit proavum. Quocumque modo res se habet, digna mihi visa est A codicis lectio, quae a viris doctis examinaretur.

25. *Militaribus* omisso *que* Baretus solus per errorem edidit.

Ep. I 4 (188). *Spectare mihi videor bonorum pace praefata illam in invidis ignaviam superbientem et illud militandi inertibus familiare fastidium, cum a desperatione*

crescendi inter bibendum philosophantes ferias inhonoratorum laudant vitio desidiae, non studio perfectionis. Huius enim appetitus ne adhuc pueris usui foret, maiorum iudicio reiciebatur.

26. *Huius enim*, quod A codicis auctoritate commendatum ad proximum commodius refertur, scribere maluerunt Savaro Elmenhorstiusque quam *cuius*, quod, cum hoc verbum sicut in V et U omnino abesset, additum est non solum in eiusdem generis libris F et L, sed etiam in H, in quo est rasura, in aliis vero codicibus cum eo propinquitate coniunctis, sed recentioribus R Z b in ipsa linea scriptum invenitur (in b tamen rasura est); in Y quoque *cuius* esse adnotavit Mauius.

Ep. I 5 (182). *Viam etiam* (inquiris) *qualem qualiterque confecerim, quos aut fluvios viderim poetarum carminibus illustres aut urbes moenium situ inclitas aut montes hominum opinione vulgatos aut campos proeliorum replicatione monstrabiles, quia voluptuosum censeas quae lectione compereris eorum qui inspexerint fideliore didicisse memoratu.*

27. *Hominum* servatum est in uno, quod sciam, codice A, in quo tamen *N* ex *h* antiqua, ni fallor, manu factum est, idemque in sola Wouwerii editione, ubi nullam miror adnotari lectionum varietatem; *nominum* in ceteris libris est. Cui illud sine dubio praeferendum est, cum non propter nomina montes nobilitati aut vulgati essent. *Opinio* autem pro *fama* positum est illa praesertim aetate, cum *opinatus*, ut recte monet Savaro, idem erat atque celeber.

Ep. I 5 (182). *Sic Alpium iugis appropinquatum, quarum mihi citus et facilis ascensus et inter utrimque torrentis latera praerupti cavatis in callem nivibus itinera mollita.*

28. *Torrentis* nescio unde sumptum — in Colvii tamen notis hoc dicitur: *Utrimque torrentis latera*, ita Victorini lib. non, ut alii, *utraque* — in editione principe,

idem a Savarone Wouwerio Elmenhorstio pro *terrentis* scriptum est. Illud, quod reiecerunt Sirmondus Mignius Baretus, in gallica versione (II pag. 493), quod *terrentis* nullum praebeat sensum, defenditur et in verba Sidonii immittitur, valde ut mireris hanc tamen apponi versionem: entre les flancs escarpés de montagnes effrayantes, in qua quidem omnia se bene habent. Fertigius (libr. comm. pag. 16) haec refert: die Alpen, über die ihn eine Schneebahn an den Seiten eines Bergstromes leicht hinwegführte. Male id quidem, neque enim *torrentis* hoc loco ulla fieri potest mentio, neque *praeruptum* dubites pro substantivo habere, quamquam in lexicis hoc modo nisi in plurali numero positum non adfertur. Et *terrentis* vel *t̄rentis* in codicibus A H R Z V N L P Paris 9551 est.

29. In sequentibus scitius quam rectius in H et b varia adscripta est lectio *m o l i t a*, quae forma Frontin. de aqu. 129 sic ponitur.

Ep. I 5 (183). *Hic avium resonans dulce concentus, quibus nunc in concavis h a r u n d i n i b u s, nunc quoque in iuncis pungentibus, nunc et in scirpis enodibus nidorum strues imposita n a t a b a t.*

30. *Harundinibus* ex A H V scripsi, non *arundinibus*.

31. *Natabat* tuetur optima codicum auctoritas A H R F V L, idque omnes fere manuscriptos codices habere dicit Colvius, ms. Vict. et alios duo Wouwerius; in H R F primo *a* superscriptum est *u*, *natabat* omnibus quos novi editoribus magis placuit. Haec lectio facilior est, illam non ideo reiciendam esse concesserim. Atque in lexicis quidem haec verba non discernuntur, sed, ni fallor, *natare* dicitur id quod in plano collocatum neque astrictum vacillat, id *nutare* quod cum ad perpendiculum directum est aut recta linea fertur, fixum huc illuc movetur. Itaque *ornus nutare*, *rami pondere nutare dicuntur*, *natare pes in pelle laxa*, ita Sid. ep. VIII 11 (429) carm. v. 8 scripsit *laxo pes n a t e t altus in coturno* — hoc ex A H V scripsi, non *cothurno* (cfr Epilegomena zu Horaz von Otto Keller II 469 sat. I 5,

64) —; adde Calpurn. ecl. VI 43 *rutiloque monilia torque extrema cervice natant* et Verg. Georg. III 198 *segetes altae campique n a t a n t e s*. Hoc loco nidi harundinum iuncorum scirporum silvae natanti impositi *natantes* ipsi optime finguntur; *nutant* autem ventis agitati ut rami et arbores sic nidi iis adfixi. Neque in hac verborum conclusione: *imposita natabat* numeri prorsus displicent, quamvis eorundem rara sint apud Sidonium exempla, sicut ep. I 2 (178) *in utrisque philosophatur* et II 2 (215) *recussa cohibeatur*, quibuscum conferendum est II 13 (229) *desideria dominantur*.

Ep. I 5 (184). *Insuper oppidum duplex p a r s i n t e r l u i t P a d i c e r t a, p a r s a l l u i t. Qui ab alveo principali molium publicarum d i s c e r p t u s obiectu et per easdem d e r i v a t i s tramitibus exhaustus sic dividua fluenta partitur, ut praebeant moenibus circumfusa praesidium, infusa commercium. H i c cum peropportuna cuncta mercatui, tum praecipue quod esui competeret deferebatur, nisi quod, cum sese hinc salsum portis pelagus impingeret, hinc cloacali pulte fossarum discursu lintrium ventilata et ipse lentati languidus lapsus humoris nauticis cuspidibus foraminato fundi glutino sordidaretur, in medio undarum sitiebamus, quia nusquam vel aquae ductuum liquor integer vel cisterna defaecabilis vel fons irriguus vel puteus illimis.*

12. *Padi certa* est in A H b Z V U N P V Paris. 9551, in F L *padicerta*, i R *pedicerta*; distinctio, in A et V post *certa* posita est, in H postea addita; in V altera distinctio, ni fallor, quae erat inter duo verba, erasa est. *Duplex* ad oppidum referendum esse docuit Sirmondus. *Caetera pars* scribunt Wouwerius et Savaro, quod numeris magis orationis quam sententiae prodest — neque enim ostium illud *cetera pars Padi* recte dicitur —; *Padi, certa pars*, quod ferri nequit, Elmenhorstius scribit, Sirmondus Mignius Baretus ut supra scripsi. In quo *certa* neque necessarium est neque vero apte collocatum. Tutius mea quidem sententia erit in altera illa lectione *cetera* acquiescere. Sed vereor ne aliud lateat mendum; ego ita locum restituen-

dum esse censeo: *insuper oppidum duplex Padusa interluit, Padi pars alluit.* Padusa verbo cum superscripta esset explicatio *pars Padi certa* (cfr. Serv. ad Verg. Aen. XI 457 *Padusa pars est Padi,* et paulo post *Padusa quae quibusdam locis facit paludem, quae plena est cycnorum*), id ipsum in verba Sidonii irrepsit. Padusam cum alii tum Hieronymus Rubeus (Historianum Ravennatum lib. I pag. 10 ed. Venetiis 1572) fossam putat esse, qua Padi aqua Ravennam derivata sit. Et Plinii locum hist. nat. III 16 (20), 119 *Augusta fossa Ravennam trahitur* (Padus), *ubi Padusa vocatur* recte interpretatus videtur Tzschuckius (ad Melam vol. III p. II pag. 385), cum dicit *Ravennam trahi* esse ingredi urbem. Quod ex libro Coloniensi adfert Colvius *Quadus ab alveo principali* — ad hoc perperam adnotat: ex quo lego *qua dum*, id est ex qua parte — fuit fortasse *qui Padus;* cum Padusa quoque commemorata esset, Padi nomen a librario repetendum esse putabatur.

33. *Discretus* pro *discerptus* Wouwerius solus edidit, quam lectionem omnes, inquit, libri manuscripti agnoscunt. Equidem nihil adnotatum habeo nisi quod in A codice *r* littera omissa postea addita est. Satis erit comparare Curt. VIII 30, 10 *Ethimantus crebris flexibus subinde curvatus ab accolis rigantibus carpitur; ea causa est cur tenues reliquias iam sine nomine in mare emittat.*

34. *Dirivatis* pro *derivatis* nescio an recte Wouwerius Savaro Elmenhorstius scripserint. Nam illud ex A H V F adnotavi. Quod ex uno tantum alio loco (Sergii) Explanat. in Donat. ex rec. Keilii pag. 536, 32 *ex hoc dirivatur aliud nomen* et eo ipso mea sententia dubio allatum huic quem tractamus loco melius convenit.

35. *Hic cum peropportuna cuncta mercatui, tum* sine dubio scribendum est simulque auditur *erant* (*essent* in H superscriptum repperi); *huc* omnes quas inspexi editiones habent, idem in interpretum gallicorum editione est, sed hoc modo vertitur: tout, dans cet endroit, favorise le négoce: les vivres y arrivent en abandonance. *Hic* scriptum est in A H V F L, *huc* in H F L additum.

Ep. I 5 (185). *Inter haec patuit et Roma conspectui. Cuius mihi non solum formas, verum etiam naumachias videbar epotaturus.*

36. *Formas*, quae est lectio codicum AHZbVNFLO, Chatelainius Sirmondum de aquae ductibus cogitantem secutus recte defendit. Namque hi Romam venientibus primi etiam nunc apparent. *Thermas* (vel *termas*), quod est in RPY Paris. 9551 (ex *turmas* factum), in HZbF postea inditum est, Eyssenhardtus (Fleckeis. annal. 111 a. 1875 pag. 560) praeferendum non recte censuit. In L verbo *formas* superscriptum est *cer*. *Formas* Iordanus quoque (Topographie der Stadt Rom II p. 339) ex hoc loco adfert.

37. Pro *epotaturus*, cuius hoc unum exemplum adfertur a grammaticis, Colvius *epoturus* quosdam habere dicit, qui utrum libri calamo scripti sint an editores non dicit.

Ep. I 5 (186). *Igitur nunc in ista non modo personarum, sed etiam ordinum partiumque laetitia Transalpino tuo latere conducibilius visum, quippe cum hoc ipso tempore, quo haec mihi exarabantur, vix per omnia theatra macella praetoria fora templa gymnasia talassio fescenninus explicaretur.*

38. *Talassio* vix dubitandum est quin recte Wouwerius Sirmondus Mignius Baretus scribant, quamquam hoc verbum non alibi cum *fescenninus* videtur coniunctum esse. Hanc lectionem ex codicibus restitutam P. Pithoeo debemus (cfr Colvii adnot.), non Sirmondo, ut Baretus putat. Et *thalassio* est in V, *talasio* prima manu in N scriptum adfirmat Baretus, in A post *i* erasa est littera, deinde *a* additum idque in margine hoc modo explicatum: *Talassa gr. lat. mare. Unde bitalassum mare profundum. Hinc talassia maritima loca.* Eadem in H et b atque F adscripta est explicatio, in quibus sicut in R et U deterior est lectio *thalassia*. Hanc Savaro et Elmenhorstius receperunt.

Ep. I 6 (180). *Olim quidem tibi scribere concupiscebam, sed nunc vel maxime impellor, id est cum mihi ducens in urbem Christo propitiante via carpitur. Scribendi causa vel sola vel maxima, quo te scilicet a profundo domesticae quietis extractum ad capessenda militiae palatinae munia vocem.*

39. *Tibi scribere* hoc ordine ponuntur non solum in A, sed etiam in H et b, inverso in V et F atque in editionibus Wouwerii Savaronis Elmenhorstii Mignii.

40. In sequentibus Mohrius (Act. soc. philol. Lips. V 336) ex codice Wolfenbuttelano hoc reposuit: *sed nunc maxime impellor, iter cum mihi ducens in urbem Christo propitiante carpitur,* quod ei melius videtur. Ego ad hunc locum adnotavi in H pro *id est* propter compendium verbi *est* coniunctis vocabulis scriptum esse *idē*, in L *via* omissum ac post superscriptum esse. Ex huius modi mendis et verbi *via* a participio separati collocatione illam lectionem mihi persuasum est originem traxisse. Et *id est* omittit Wouwerius. Tantam vim pondusque non oportet accedere *iter* verbo; in optimorum codicum lectione recte premitur *in urbem*, quia Romam iter facientem maxime decere videbatur amicum ad capessendam rem publicam excitare. De *id est* perperam omisso cfr quae dixi in libri, qui in scriptus est: Ciceronis primo de finibus bonorum et malorum libro quaestiones (Helsingforsiae 1878), pag. 22. Ex Sidonio haec satis est eius usus adferre exempla: ep. I 9 (196) *Post nuptias patricii Ricimeris, id est post imperii utriusque opes eventilatas tandem reditum est in publicum serietatem*, eiusdem epistulae sub finem (199): *volo paginam glorioso id est* (in H est *idē*) *quasi Thrasoniano fine concludere Plautini Pyrgopolynicis imitator*, I 10 (200) *sed et tu vigilantiae suae me, id est famae meae statum causamque commenda*, ubi Wouwerius sine causa *me id est* omisit et in adnotationes reiecit; in H hoc quoque loco *idē* scribitur.

41. In altera sententia *qua,* non *quo* est in AHVR, facilis et necessaria, ni fallor, emendatio facta est in L codice, ubi scriptum est *quo;* id Sirmondus recepit, quem secutus est Baretus.

Ep. I 6 (181). *Quin potius expergiscere et ad maiora se pingui otio marcidus et enervis animus attollat. Non minus est tuorum natalium viro personam suam excolere quam villam. Ad extremum, quod tu tibi iuventutis exercitium appellas, hoc est otium veteranorum, in quorum manibus effetis enses rubiginosi sero ligone mutantur.*

42. *Ut* pro *et* Wouwerius solus scripsit.

43. *Inermis*, cui superscriptum est si non prima, at certe antiqua manu *sine viribus et nervis*, est A codicis lectio, eadem H R Z F (in ras.) Y codicum; in H et b codicum marginibus est *sine viribus innervis*, Z *enervis sine viribus*, F *innervis* et (alia, ni fallor, manu) *vel enervis*; *innervis* in verba Sidonii admiserunt U et L et b codicum scriptores, idem Savaro Elmenhorstius Sirmondus Mignius Baretus receperunt. *Enervis* solum est in V, quod nescio an corrigenti debeatur librario, et in Wouwerii editione. Atque hoc quidem tutius est a Sidonio scriptum arbitrari, cum neque *innervis* ullo alio loco reperiatur, neque *inermis*, quod in archetypo fuisse puto, a Sidonio pro *enervis* positum esse verisimile sit. Haec una manet dubitatio scripseritne Sidonius *enervus*, quo scimus Apuleium usum esse Met. I 4 (104) *puer in mollitiem decorus insurgit inque flexibus tortuosis enervam et exossam saltationem cum omnium qui aderamus admiratione*, quamquam ne hic quidem locus suspicione caret.

44. Particulae *non*, quae paulo post sequitur, in H superscripta est varia lectio *num*, quae recepta est in b codice et in editione Wouwerii. Is *non* ex uno libro adnotavit.

45. *Otium* (vel *ocium*) in rasura scriptum est in A et H, in F additur *vel vicium*. Aut in archetypo aliquid turbatum erat, aut *otium* paulo ante positum librariis displicuit.

Ep. I 6 (181). *Non nequiter te concilii tempore post sedentes censentesque iuvenes inglorium rusticum, senem stantem, nobilem latitabundum pauperis honorati sententia*

premet, cum eos, quos esset indignum si vestigia nostra sequerentur, videris dolens antecessisse. Sed quid plura? Si pateris hortantem, conatuum tuorum socius adiutor praevius et particeps ero.

46. *Nobilem,* quo carere non possumus, in A servatum in H R Z b V U Y non est neque in Savaronis Elmenhorstiique editionibus, quamquam iam Wouwerio erat cognitum. In A H V punctum est post *senem,* quod in A recte erasum est.

47. In sequentibus cum aliquanto durius post *indignum* omittatur *antecedere,* male correxit verba scriptoris Wouwerius hoc modo: *quod esset indignum si vestigia nostra sequereris,* infeliciora etiam aliorum in adnotatione commemoravit inventa. Mihi quoque Sidonii genus dicendi non huius modi obscuritate involvi vel potius brevitate impediri solere reputanti, cum necessarius videretur emendandi conatus, duo in mentem venerunt: *quos praeire (p̄ire) esset indignum* et mutata paululum sententia *qui esset indignum si vestigia nostra sequerentur.* Ad hoc, quod mihi ipsi magis placet, defendendum satis erit adferre Cic. Att. VII 17, 2 *quae ille amentissimus fuerit nisi acceperit.* Gallici interpretes non multum laboraverunt de huius loci difficultate, quem sic vertunt: lorsque tu verras avec douleur que tu as été devancé par des hommes pour qui c'eût été déjà trop de suivre nos pas.

48. Restat res levissima. *Et* ante *particeps* in A atque H et b additur (in H tamen *et particeps* supra lineam scripta sunt), in V omittitur, item in Sirmondi Mignii Bareti editionibus. Cfr ep. V 7 (326), ubi, cum octo virorum enumerantur nomina, ante ultimum *et* ponitur.

Ep. I 7 (189). *Angit me casus Arvandi nec dissimulo quin angat. Namque hic quoque cumulus accedit laudibus imperatoris, quod amari palam licet et capite damnatos. Amicus homini fui supra quam morum eius facilitas varietasque patiebantur. Testatur hoc propter ip-*

sum mihi nuper invidia conflata, cuius me paulo incautiorem flamma detorruit.

49. *Amari* cum probetur consentienti codicum A H R b V F lectione, non mutandum est in *amare*, quod in omnibus vidi editionibus. *Fovere* ex MS. 2 Vict. adnotavit Wouwerius.

50. *Facilitas* cum hoc modo positum ex uno tantum Suetonii loco (Claud. 29) in lexicis adferatur, ne cui suspectum sit, alium subscribo locum ipsius Sidonii ep. IX 12 (471) *primum ab exordio religiosae professionis huic principaliter exercitio renuntiavi, quia nimirum facilitati posset accommodari, si me occupasset levitas versuum, quem respicere coeperat gravitas actionum.* Ad quem locum quae adfert Savaro ad rem non pertinent. Addo credulitatis vim huic verbo subiectam esse ep. I 11 et VII 2.

51. *Patiebatur* contra codicum A H R Z b V F auctoritatem scribunt Elmenhorstius et Baretus.

52. *Mihi nuper* inverso ordine ponunt Wouwerius Savaro Elmenhorstius.

53. *Incautiorem paulo* fortasse scribendum est, hic enim in A codice ordo est idemque ep. I 11 (200) *longius paulo, sed ab origine exponam.*

Ep. I (169) 7. *Sed gubernationis suae ordinem exposcis. Salva fidei reverentia, quae amico debetur etiam adflicto, rem breviter exponam. Praefecturam primam gubernavit cum magna popularitate consequentemque cum maxima populatione. Pariter onere depressus aeris alieni, metu creditorum successuros sibi optimates aemulabatur. Omnium colloquia ridere, consilia rimari, officia contemnere, pati de occurrentum raritate suspicionem, de assiduitate fastidium, donec odii publici mole vallatus et prius cinctus custodia quam potestate discinctus captus destinatusque pervenit Romam.*

54. Mohrius (Act. Soc. phil. Lips. V pag. 337) *damnationis suae ordinem*, quod in plerisque manuscriptis esse Wouwerius dicit, cum in Wolfenbutte-

lano codice repperisset, a Sidonio scriptum esse sibi persuasit, *gubernationis* — quod est in AHRZbVUY — ex sequenti *gubernavit* a librariis falso positum. Potuit sine dubio Sidonius hoc loco de *damnationis* vel potius *iudicii ordine* cogitare, sed ea ipsa quae proxime sequuntur haud minus apte verbis *gubernationis ordinem* significat. Gallici interpretes nescio an recte ita verterint: tu me demandes quelle a été sa manière de gouverner. Quod paulo post scriptum est *gubernavit*, ego nil moror, qui viderim saepius a vel eadem verba Sidonio repeti nullis orationis ornamentis quaesitis, ut in ep. II 6, quae brevissima est, (219) *in boni cuiusque adsciscitur amicitias* et *de quo boni quique bona quaeque iudicaverunt* et ep. II 11 (216) *neque iam semel missa fundamenta* et paulo post *semel devinctis*, quamquam in hac epistula duas res quinis vel senis circumlocutionibus dissimillimis, quibus eadem fere significantur, repetitas legentem et admiratio quaedam capit et taedium. Cfr quae pag. 8 dixi ad ep. I 2 de *pondere* in *splendore* a librariis mutato.

55. *Sequentem* pro *consequentem* Wouwerius per errorem fortasse scripsit.

56. Pro *consilia rimari* puto scribendum esse *consilia mirari*, quod nemo negabit aptius huic loco convenire et cum Arvandi moribus, quales eos describit Sidonius, melius congruere, praesertim cum paulo post amicorum consilia insolens ille sprevisse narretur. Male hoc vertit Fertigius (libr. comm. pag. 18): er spottete der Mittheilungen Aller, leuerte, spionirte, versäumte seinen Dienst; nam ad *officia* quoque *omnium* referatur necesse est.

57. *Concurrentum*, quod ex H et b adnotavi, Savaro recipere non debuit. Usitata erat apud veteres occurrentium prosequentiumque turba. Et *occursionis* verbo Sidonius salutationem significat VII 10 (379) *superest ut sollicito veneratori culpam rarae occursionis indulgeas*, quo loco Baretus solus *accursionis* scripsit.

Ep. I 7 (191). *Deferimus igitur nihil tale metuenti totam perimachiam, quam summo artificio acres et flammei viri occulere in tempus iudicii meditabantur, scilicet ut adversarium incautum et consiliis sodalium repudiatis soli sibi temere fidentem professione responsi praecipitis involverent. Dicimus ergo quid nobis, quid amicis secretioribus tutum putaretur. Suademus nil quasi leve fatendum. Si quid ab inimicis etiam pro levissimo flagitaretur, ipsam illam dissimulationem tribulosissimam fore, quo facilius persuasionis securitatem inferrent.*

58. *Perimachiam,* qui vetustiores libros inspexerit, in A reperiet integrum mansisse, in R et V priore *i* omisso, in H et F postea addito scriptum esse. Id verbum hoc uno loco dictum neque a librariis intellectum in H Z b codicum marginibus adscriptis his verbis: *compugnantia vel controversia* explicatur: in Z tamen pars marginis abscissa est. Sed ne editores quidem eandem omnes huic voci subiciunt significationem. Optima omnium mihi videtur Sirmondi interpretatio: totus susceptae accusationis ordo et apparatus, quamquam non verbum verbo redditur.

59. Ex *occulere* is qui V codicem scripsit correctione non necessaria effecit *occulte; meditandi* verbo infinitivum non semel adiungit Sidonius; cfr ep. III 3 (261) *occulere* et IV 5 (277) *silere.*

60. *Soli sibi* scripsi ex A R V F L, inverso ordine haec verba ponunt H Z b et editores.

61. *Quasi* in H et b omisso Wouwerii — hic id in adnotatione tamen adfert — et Savaronis Elmenhorstiique editiones carent. Apte hoc ad ipsius Arvandi sententiam refertur, quod sequitur *pro levissimo* ad adversarios.

62. *Illam ipsam* Wouwerius solus scribit, ceteri *ipsam illam.*

63. *Persuasionis securitatem* inverso ordine non male, quamvis repugnantibus codicibus, positum est in Savaronis Elmenhorstiique editionibus. Totum hoc, quod difficilius est, gallici interpretes scopulos praetervecti vix recte vertunt: cette dissimulation les jetterait dans un rude embarras, et les empêcherait d'établir facilement leurs preu-

ves. Aut ipse fallor aut haec sola probabilis est explicatio: fore ut adversarii quo facilius, cum Arvandum confessurum esse crederent, et aliis et sibi ipsis rem certam esse persuaderent, eo maioribus afficerentur molestiis, cum praeter opinionem infitiaretur.

Ep. I 7 (192). *Inter haec reus noster aream Capitolinam percurrere albatus: modo subdolis salutationibus pasci, modo crepantes adulationum bullas ut recognoscens libenter audire, modo serica et gemmas et pretiosa quaeque trapezitarum involucra rimari et quasi mercaturus inspicere prensare depretiare devolvere et inter agendum multum de legibus, de temporibus, de senatu, de principe queri, quod se non prius quam discuterent ulciscerentur. Pauci medii dies: it in tractatorium frequens senatus (sic post comperi, nam inter ista discesseram), procedit noster ad curiam paulo ante detonsus pumicatusque, cum accusatores semipullati atque concreti nuntios a decemviris opperirentur et ab industria squalidi praeripuissent reo debitam miserationem sub invidia sordidatorum. Citati intromittuntur: partes, ut moris est, e regione consistunt. Offertur praefectoriis ante propositionis exordium ius sedendi. Arvandus iam tunc infelici impudentia concito gradu mediis prope iudicum sinibus ingeritur. Ferreolus circumsistentibus latera collegis verecunde ac leniter in imo subselliorum capite consedit, ita ut minus legatum se quam senatorem reminisceretur, plus ob hoc postea laudatus honoratusque. Dum haec, et qui procerum defuerant adfuerunt. Consurgunt partes legatique proponunt. Epistula post provinciale mandatum, cuius supra mentio facta, profertur; atque cum sensim recitaretur, Arvandus necdum interrogatus se dictasse proclamat. Respondere legati, quamquam valde nequiter constaret, quod ipse dictasset. At ubi se furens ille quantumque caderet ignarus bis terque repetita confessione transfodit, acclamatur ab accusatoribus, conclamatur a iudicibus reum se maiestatis laesae confitentem teneri. Ad hoc et milibus formularum iuris id*

sancientum iugulabatur. Tum demum laboriosus tarda poenitudine loquacitatis inpalluisse perhibetur, sero cognoscens posse reum maiestatis pronuntiari etiam eum qui non adfectasset habitum purpuratorum. Confestim privilegiis geminae praefecturae, quam per quinquennium repetitis fascibus rexerat, exauctoratus et plebeiae familiae non ut additus, sed ut redditus publico carceri adiudicatus est. Illud sane aerumnosissimum, sicuti narravere qui viderant, quod quia se sub atratis accusatoribus exornatum ille politumque iudicibus intulerat, paulo post cum duceretur addictus, miser nec miserabilis erat. Quis enim super statu eius nimis inflecteretur, quem videret accuratum delibutumque lautumiis aut ergastulo inferri. Sed et iudicio vix per hebdomadam duplicem comperendinato capite multatus in insulam coniectus est serpentis Epidaurii. Ubi usque ad inimicorum dolorem devenustatus et a rebus humanis veluti vomitu fortunae nauseantis exputus nunc ex vetere senatusconsulto Tiberiano triginta dierum vitam post sententiam trahit, uncum et gemonias et laqueum per horas turbulenti carnificis horrescens.

64. Verbo *recognoscens* — in gallica interpretatione non recte sic vertitur: comme aux jours de son élévation — nescio an eadem vis atque est gallico verbo *reconnaître*, vim dico referendae gratiae, hoc loco a Sidonio subiecta sit

65. Pro *prensare* ex A codice adnotatum habeo *pensare*, quod ex uno codice Wouwerius attulit. Magis mihi, ut Savaroni Elmenhorstioque, hoc placet, quo inducitur Arvandus sua manu pondera exigens rerum pretiosarum.

66. *Depretiari*, non *depretiare* scriptum est in A et post additum in H et F. Utrum a Sidonio scriptum sit, non facile decernas; hoc ex infimae aetatis scriptoribus adfertur, item *appretiare*.

67. *Quod se prius quam discuterent ulciscerentur* omisso *non* in A scribitur, in F *non* erasum videtur, eodem modo hunc locum edunt Savaro Elmenhorstiusque. Quod si verum est, non male dicitur Arvandus queri, quod cum custodiae traditus sit, ante iudicium propter odia principum poena adficiatur; si *non* additur, nulla alia potest evadere

sententia quam Arvandum adversarios suos ante causam cognitam puniendos esse dixisse, quod vix cuiquam persuadere potuerat.

68. *It in tractatorium* dubitanter scripsi, sicut Wouwerius Elmenhorstius Sirmondus Mignius Baretus, nam quid in archetypo fuerit eorum quos cognovi codicum non diiudicaverim. *Tractatorio* scriptum est in V, fuit fortasse etiam in A et F; in *it* verbo rasura est in iisdem libris; in V *et* repperi, ut sit haec sententia *et in tractatorio frequens senatus fuit* — hoc ipsum quod ultimum posui verbum explicandi causa in V adscriptum est. Praeterea in A omissae sunt syllabae *in* et *ta*, quarum illa prima, haec secunda manu videtur addita esse; in F *to* superscriptum est. In H R Z b et U scriptum est *it in tractatorium.* Hoc addo *it* etiam ep. II 9 (225) in V corruptum esse et in *est* mutatum.

69. Pro *sic* Wouwerius *sicut* posuit. Cfr I 5 (183) *sic navigio nomen.*

70. *Invidia* in H R Z b Paris. 2782 Y corruptum est, scriptum est enim *iniuria*, idem ex uno libro Wouwerius adnotat.

71. *Gressu* pro *gradu* in A, quod sciam, solo scriptum a Savarone Elmenhorstio Mignio receptum est.

72. *Leviter* pro *leniter* vix recte, quamvis miro consensu, scriptum adnotavi in A H b V F codicibus.

73. Brevissimo illi enuntiato *dum haec,* quod minime dubitandum est quin a Sidonio ita sit expressum, explicationem superscripserunt V et F codicum librarii *fiunt*, quod Sidonio tribuendum esse censuit Wouwerius.

74. Prorsus idem accidit aliis quotquot cognovi editoribus in sequenti *facta,* addunt enim *est*, quod in A H V non est, in F correctori debetur.

75. *Quamquam valde nequiter constaret* quid sit confiteor me non certe scire. Lectionum varietate nihil adiuvamur, in V et R reperitur *valide ac nequiter*, idem, ut videtur, fuit in F. Gallica haec est interpretatio: les députés ajoutent qu'elle est bien de lui, quoique cela déjà

fût malheureusement trop certain. Quam ut probemus, *valde nequiter quod* pro *male se habebat* dictum putemus necesse est. Mihi et hoc in mentem venit: quamquam turpissime sibi constans in confitendo perseverabat, et illud: quamquam hoc verum esse nullo modo constabat, quod Fertigius quoque (libr. comm. pag. 19) sic expressit: obwohl es noch gar nicht so erwiesen war. Tertia — varios enim explicandi conatus in re difficillima licebit adferre — haec erit via, quam, cum in V et in Z post *nequiter* interpunctum esse, in A ultimam *constaret* verbi syllabam in rasura scriptam reppererim, ingressus sum: *quamquam valde nequiter* (quia nondum rem testimoniis probaverant), *constare quod ipse dictasset.*

76. *Bis terque quaterque* additamento minime pulchro admixto Wouwerius scripsit.

77. *Reum se maiestatis laesae confitentem teneri* habent A (superscripto *se*), H b Z (*se* omisso) F Y; *reum laesae maiestatis* R V U L, idem Wouwerius Sirmondus Mignius Baretus. *Se* non raro hoc modo apud Sidonium positum — sufficit unum exemplum ex hac ipsa epistula sumptum (289): *sed gubernationis suae ordinem exposcis* — librarios fortasse offendit, quamquam cum in A nec primum scriptum sit et melius, cum adsit *reum*, absit, dubito num Sidonio ipsi debeatur ac non potius librariis. Nam fieri potuit ut, cum hoc esset in archetypo: *lesese maiestatis*, ex eo in aliis codicibus efficeretur *se maiestatis laesae*, in aliis necessaria emendatione *laesae maiestatis* recte restitueretur.

78: *Sancientibus* nescio unde sumptum — in V *sancientem*, in b *sanciendum* primaria est lectio — non recte scriptum est a Wouwerio, et *sancientum*, quod verum est, in optimo suo se invenisse dicit. Elmenhorstius *sancientium* scripsit.

79. *Purpuratorium*, quod est in A H Z et in libro Danielis, ut ait Wouwerius, cum alibi nusquam repperissent viri docti, Elmenhorstius tamen recepit. *Purpuratorum* recte servatum aut felici emendatione effectum habent V et R.

80. *Exauctoratus* unius fere A codicis auctoritate nititur, nam in H correctione ortum, in F in margine adscriptum est; in recentioribus libris Z b Y Paris. 2170, 2782, 9551 receptum est, in Z tamen *exactoratus* est, quod in H codicis margine vidi. Sed verum sine dubio est *exauctoratus*, quod Savaro defendit. *Exauctorare* apte, ut aliis locis, de Arvando dicitur, qui ignominiae causa removebatur; cfr in primis Amm. Marcell. XV 1, 2 *cuius* (imperatoris) *nutu in modum gregariorum militum licet diversis temporibus duo exauctorati sunt principes* (vid. Handb. der röm. Alterth. von Marquardt und Mommsen V. pag. 449, adnot. 2). Et potuit, ut Amm. Marcell. XXV 3, 10 in noni saeculi codice Vaticano, scribi *exaucturatus*, ex quo facile factum est *exauguratus*. Hoc vero, quod est in H R V U N F P L Paris. 2783 et in editionibus Sirmondi Mignii Bareti, num de militibus magistratibusve dici possit valde dubitandum est. Ac ne *inaugurandi* quidem verbo sic utuntur scriptores latini.

81. *Sicuti* ex codicibus A H b V F scripsi, *sicut* in editionibus est.

82. *Lautomiis o* litterae superscripto *vel u* in A, *lautumiis* in H b V F L scriptum est. In A et H et in codice Ortelii (cfr edit. Elmenhorst. pag. 497) Z b F, non in R V U L, haec in margine scripta sunt (compendia et talia non exscribam): *Lautumium supplicii genus ad verberandum aptum inventum a Tarquinio Superbo* (*ad nom sceleratorum* in H additur). *Nam sic legitur in Eusebio cronographo. Tarquinius Superbus VII anno suo imperii excogitavit vincla* (*aliter vincula* in H additur) *taurea fustes lautumias compedes catenas exilia metalla. Dicitur autem et lautumium lautumii et lautumiae lautumiarum.* Illa forma lexicographis ignota est.

83. In sequenti sententia pro *et* Wouwerius et inter verba scriptoris et in adnotatione *ut* scripsit, variam Vict. (Victorini fortasse codicis) lectionem adfert *sed cum.* Rem commemoravi levissimam, quia in A *et* ex *ut*, ni fallor, correctum est. Hoc tamen scribendum esse negaverim.

84. *Hebdomadam* scripsi ex A H b V, *hebdomaden*

quidam editores, *hebdomadem* melius Sirmondus Mignius Baretus.

85. *Serpentis* prima, ni fallor, manu superscriptum est in A, et Wouwerius, non est, inquit, in libro Danielis et recte. *Epidauri* in A H Z b V scriptum est, idem Wouwerius Savaro Elmenhorstius habent. Ex quibus quid faciam cum non invenerim, Sirmondum sequor. Illud tamen addo facile potuisse librariis notum fuisse *serpentem Epidaurium*, hoc solum pro Aesculapio a Sidonio scribi. Sed in re incerta nihil adfirmo.

86. *Exputus* ex A H F scripsi, non *exsputus*, in b *s* superscriptum est; in V repperi *exsūptus*.

87. De *triginta* diebus quia dubitatum est, adnoto in A scriptum esse *XXX:ta*. Sed comparanda sunt quae de ea re dixit Sirmondus nec audiendus Wouwerius, qui haec verba: *ex vetere senatus consulto Tiberiano*, quod in vetere codice — eiusne sit necne non certum est — abesse monuerit Petrus Daniel, delenda censet.

Ep. I 8 (194). *Morari me Romae congratularis. Id tamen quasi facete et fatigationum salibus admixtis. Ais enim gaudere te, quod aliquando necessarius tuus videam solem, quem utique raro bibitor Araricus inspexerim. Nebulas ergo mihi meorum Lugdunensium exprobras et diem quereris nobis matutina caligine obstructum vix meridiano fervore reserari. Et tu ista haec mihi Caesenatis furni potius quam oppidi verna deblateras.*

88. *Illud* pro *id* ex nullo quod sciam codice scripserunt Wouwerius et Savaro.

89. *Ergo*, quod est in A et in Savaronis Elmenhorstiique editionibus, dubitanter scripsi pro *enim*, quod ex reliquis libris scribunt Wouwerius Sirmondus Mignius Baretus.

90. Eius quae sequitur sententiae initium alii aliter scripserunt librarii: *haec ista mihi* (vel *michi*) non solum ex A, sed etiam ex H Z b et U (*michi hec ista*) et Y (*hec ista mihi*) adnotatum est; *ista imcesenatis* addito *haec* in

V repperi, *et tu mihi ecce ista* superscripto *hec* in L codice, *ista haec mihi* in F codice non male scriptum est, nam hoc ordine ea verba apud Sidonium poni solent. Quod ad ep. III 8 Savaro (pag. 201) adnotavit: *haec ista* ex ep. IV 21 initio, falsum est, ipse enim hoc loco *haec ipsa* edidit. Sed verisimilius est ex L codice verum eruendum esse atque ita in archetypo obscuratis fortasse litteris fuisse scriptum: *et tu ecce ista* — superscripto *mihi* — *Caesenatis*, nam haec facillime propter vicinum *Caesenatis* (*cesenatis*) ita corrumpi potuerunt, ut vel id evaderet, quod et A et H Z b et U vidimus habere, vel ea, quae in L et V codice invenimus. Cfr quae dicentur de ep. III 12 *et superveni*. Wouwerii haec est lectio: *et tu ista haec nobis Cesenatis*, haec adnotatio: "Victor. 1 *mihi ista haec*. Opt. C. *Et tu ista ecce Cesaenatis Furni*. optime et concinne." Savaro Elmenhorstius Sirmondus Baretus *et tu ista haec mihi* scribunt, Mignius *et tu mihi haec ista*.

Ep. I 9 (196). *Interea nos Pauli praefectorii tam doctrina quam sanctitate venerandis laribus excepti comiter blandae hospitalitatis officiis excolebamur.*

91. In H *venerandis*, quod in A atque V et U est, corrector in *venerandi* mutavit, idem receperunt Savaro et Elmenhorstius. Ego ut hoc malim, sic illud a Sidonio scriptum esse minime nego.

Ep. I 9 (196). *Illud tamen in eo studiorum omnium culmen antevenit, quod habet huic eminenti scientiae conscientiam superiorem.*

92. *Eodem*, quod scriptum est a Wouwerio Sirmondo Mignio Bareto, nulla causa est cur ex recentioribus libris — nam est in L et b, in F postea additum est, in A H V *eo* scribitur — in verba Sidonii admittamus.

Ep. I 9 (197). **93.** *atque nepotibus*, vid. quae pag. 10 de ep. I 3 *proavus* dicta sunt.

Ep. I 9 (197). *Neuter aditu difficili, neuter sumptuoso; sed si utrumque consuluisses, facilius ab Avieno familiaritatem, a Basilio beneficium consequebare. Quibus diu utrimque libratis, id tractatus mutuus temperavit, ut reservata senioris consularis reverentia, in domum cuius nec nimis nec raro ventitabamus, Basilianis potius frequentatoribus applicaremur. Ilicet dum per hunc amplissimum virum aliquid de legationis Arvernae petitionibus elaboramus, ecce Kalendae Ianuariae, quae Augusti consulis mox futuri repetendum fastis opperiebantur.*

94. *Difficilis,* quod in A et R est et fuit in H, emendatum videtur in V, ubi *difficili* scriptum est.

95. *Consuluisses* in omnibus fere codicibus repperi A H R Z b V F Y, nisi quod in A prima manu scriptum est *consiluisses,* etiam in editione principe est *consuluisses. Coluisses* in L et U scriptum probatum est Wouwerio Sirmondo Mignio Bareto. Mihi quidem, ut Savaroni Elmenhorstioque, illud magis placet; accedit multo maior codicum auctoritas.

96. Wouwerius Savaro Elmenhorstius *facilius a Basilio* scribunt, quod a quo inventum sit nescio, in libris non repperi. Molesta est repetitio.

97. *Servata* Wouwerius solus scripsit, *reservata* ex tribus libris adnotat.

98. *Reverentia* vereor ne correctori cuidam debeatur, nam in archetypo vix crediderim id fuisse, cum et in A et in H Z b Y scriptum sit *frequentia,* quod mendum non grave ex proximo *frequentatoribus* est ortum. Emendatio in archetypo codicum non integrorum adscripta V U F L codicum scriptoribus placuit. In R et F codicibus coniectura tentata est in *consularis* verbo, cui superscriptum est *vel tus,* et *consulatus* Wouwerius ex tribus libris adnotat. Quod necessarium non est nec sane illo melius.

99. *Nec nimis nec raro,* quod Elmenhorstio soli probatum est, A codici, ubi prima manu est additum, debetur; id mihi multo elegantius videtur quam *nec nimis raro.* Id tamen non negandum est *nec* a Sidonio hoc modo poni solere.

100. *Ecce et*, quod in H et V vidi, non recte scripserunt Savaro Elmenhorstiusque; *ecce* solum est in A.

Ep. I 9 (199). *Videre mihi videor ut rideas, quia perspicis nostram cum milite comico ferocissimo iactantiam* (paulo ante se Plautini Pyrgopolynicis imitatorem appellaverat).

101. Haec a librariis non satis intellecta, quamvis nullo egeant explicatione, corrupta sunt. Atque in A quidem pravo et manifesto mendo *cõ mictio* scriptum est, alterum autem *c* in rasura est; de *commentitio* cogitavisse librarius videtur; *ferocissimo* vero recte servatum est. Quo in ceterorum codicum archetypo corrupto aut *ferocissime* scriptum est, ut in H R Z b F U Laur. XLV 26, quod non aspernati sunt Savaro Elmenhorstiusque, aut serpente longius corruptela *ferocis simie*, quod in L repperi, aut accedente novo festinantis librarii mendo *ferocisse*, quod in V est itaque emendatur: *vel fecisse.* Quid verum esset iam Wouwerius vidit.

Ep. I 10 (199). **102.** *Campaniano* haec epistula scripta videtur, non *Campanio;* illud, quod in V et R et b ego repperi, Savaro in libris Fauchetii et Andegavensis Orontii, Wouwerius in duobus libris, Sirmondus in veteribus libris esse dixit, hic vir doctus defendit recepitque Elmenhorstius. *Campanio* in A est et in H fuit, sed in hoc post emendatum est. *Campanio* Wouwerius et Savaro scribunt.

Ep. I 11 (201). *Cumque frusta diversa quasi per iocum diffunderent, solvitur Catullinus in risum intempestivoque suffragio clamare coepit dignum poema quod perennandum apicibus auratis iuste tabula rostralis acciperet aut etiam Capitolina.*

103. *Frustra* fortasse habuit A, id ex opt. C. (*cum-*

que frustra diu. quaeque quasi) adfert Wouwerius. Apertum mendum receperunt Elmenhorstius et Mignius.

104. *Diffunderent* scripsi A et H codicum auctoritate ductus; *effunderent*, quod ex V adnotavi, omnes, quod sciam, ediderunt. Minus vulgatum illud est, ad sententiam aeque aptum.

105. *Perennandum apicibus* in A H R V *(perendinandum)* F L est, inverso ordine ponitur a Wouwerio Sirmondo Mignio Bareto; in A ante illud adiectum erat *apicibus*, sed deletum est.

Ep. I 11 (201). *Atque ad astantes circulatores, iniuriae communis, inquit, iam reum inveni. Videtis, ut Catullinus deperit risu. Apparet ei nota memorari. Nam quae causa festinam compulit praecipitare sententiam, nisi quod iam tenet totum, qui de parte sic iudicat. Itaque Sidonius nunc in Arverno est: unde colligitur auctore illo, isto auditore rem textam. Itur in furias inque convicia absentis nescientis innocentisque: conscientiae fidei quaestioni nil reservatur. Sic levis turbae facilitatem qua voluit contraxit persona popularis.*

106. Pro *communis* in A scriptum est *comminus*, quod vide ne temere reicias. Difficilior librariis haec fortasse erat lectio quam quae intellegeretur ab iis. Sed apte, ni fallor, *iniuriae comminus iam reum inveni* iratus dicit Paeonius, id est fere: hic iam teneo. De *iniuriae* et *reum* verbis discretis cfr ep. I 2 (184) *et ipse lentati languidus lapsus humoris.*

107. Vix recte Mohrius (Progr. Sondershaus. pag. 7) pro *itaque* putat *atqui* scribendum. Neque enim hac particula in iis quae attulit exemplis Sidonianis ep. V 5 (332) et IX 9 (448) assumptio instituitur, sed opponuntur contraria, neque hoc de quo quaerimus loco tam apte concluditur aut tam astricte verba comprehenduntur, quam iis locis Ciceronis, ubi in assumptione *atqui* poni videtur. Verum *itaque* eodem fere modo atque *igitur* ponit qui enarra-

tionem cum vi quadam continuat, praesertim si quid interposuit quo res tardari videatur.

108. Secundae sententiae verba interpunxi ex A codice. In ceteris omnibus quos inspexi libris vel calamo scriptis (H R Z V F L X) vel typis expressis male se habet sententia, cum aut post *conscientiae* aut post *fidei* aut post utrumque dividitur.

109. Ne *contraxit* quidem a Mohrio (loc. comm.) in *secum traxit* mutatum a Sidonio scriptum esse adfirmare ausim. Nam hoc, ni fallor, dicere voluit scriptor: credulam audientium turbam qua incedebat contraxit. Saepissime enim Sidonius utitur vel potius abutitur abstractis quae dicuntur substantivis, ut multis locis obscurus aut certe nimis audax iure dicatur. Unum satis habeo adferre exemplum ep. II 2 (215) *si turbo austrinus insorduit, immane turgescit, ita ut arborum comis, quae margini insistunt, superiectae asperginis f r a g o r i m p l u a t.*

Ep. I 11 (203). *Venio Arelatem nil adhuc — u n d e e n i m? — s u s p i c a n s, quamquam putarer ab amicis non adfuturus.*

110. *Nil* ex A H b V F scripsi, editores *nihil* habent.

111. In sequentibus hic quem posui verborum ordo consentientium A H R b V F codicum auctoritate defenditur; *suspicans, unde enim* L solus habet, sed is quoque *unde enim* rescriptum aut correctum. Hanc tamen verborum collocationem editores retinent.

Ep. I 11 (203). *Hic ego, quid sibi haec vellet in illis s u p e r b i a e, n i m i a e i n i s t i s h u m i l i t a t i s forma, mirari nec ultro tamen causas interrogare, cum s u b o r n a t u s unus e turba factiosorum dat sese mihi consalutandum.*

112. In U et L (in rasura) *nimiae* repetitur. Ex quo haec efficitur non inelegans verborum continuatio: *in illis superbiae nimiae, nimiae in istis humilitatis,* quam lectionem receperunt Sirmondus et Baretus, non receptam sic

tamen, quod mireris, interpretes gallici verterunt: dans les uns cet orgueil extraordinaire, dans les autres cette soumission profonde. In ceteris codicibus (A H R Z b V F X Y) alterum *nimiae* omittitur, in V sic interpunctum esse adnotavi: *superbiae nimiae, in istis,* itaque scribunt Wouwerius Savaro Elmenhorstius Mignius gallici interpretes. Ut in hac lectione, sic in illa, quam in L codice esse diximus, multo ea quidem meliore, mihi displicet *superbiae nimiae,* praesertim cum nimis superbi illi nihil aliud fecisse dicantur quam ut fugerent seque occulerent, ne salutarent Sidonium. Sed christiano scriptori multo magis aptum est *nimiae humilitatis,* et ante ipse hoc dixit: *alii mihi plus quam deceret ad genua provolvi,* unde L codicis scriptor cum post *superbiae nimiae* interpunctum fortasse vidisset, alterum *nimiae,* quod ad *humilitatis* referret, desiderans facile coniecit. Cfr quae dixi pag. 29 de ep. I 9 (197) *facilius.*

113. *Cum subito subornatus,* quod est in codice Wolfenbuttelano, Mohrius (Acta Soc. philol. Lips. V pag. 338) scribendum censet: mihi vero *cum tandem* magis aptum videtur. Sed nihil addendum est, cum in plurimis codicibus *cum subornatus* sit.

Ep. I 11 (203). *Perge, inquam, amice, nisi molestum est, et tumescentes meo nomine consulere dignare utrumnam delator ille aut index, qui satiram me scripsisse confinxit et perscripsisse confinxerit; unde forte sit tutius si retractabunt, ut superbire desistant.*

114. *Meo nomine* hoc ordine A et F ponunt, inverso H b V L et editores. Hoc vix recte verterunt Galli: ces hommes que mon nom seul irrite, cum potius *propter me* scriptor dicere voluerit.

115. *Ille delator* R V F L et Wouwerius et Mignius, recto ordine A H Z b X scribunt.

116. Quae sequuntur non intellexerunt interpretes gallici: si le délateur qui a imaginé que j'avais fait une satire, a pu supposer encore que je l'eusse répandue: car, s'ils disent que cela n'est pas, mieux vaut pour eux de quit-

ter cet air dédaigneux et superbe. Hoc mea sententia dixit Sidonius: quaereret utrum is qui compositam esse finxisset a se satiram, etiam sua manu perscriptam confinxisset (nisi forte legendum est *convicerit;* in V et F scriptum est *conficerit*, in V autem *n* additum; cfr in antecedentibus *quis crimen agnovit*, *quis detulit*, *quis probavit?*), qua ex re causam retractare tutius esse. Hoc loco adnoto in A et V codicibus omissa et in margine adscripta esse haec verba: *confinxit et perscripsisse*, eadem a vetere libro Danielis abesse dicere Wouwerium.

Ep. I 11 (205). *Et vir illustris Gratianensis, multus, inquit, hoc iurgio satiricis campus aperitur. Hic imperator ad me cervice conversa, audio, ait, comes Sidoni, quod satiram scribas. Et ego, inquam, hoc audio, domine princeps. Tunc ille, sed ridens, parce vel nobis. At ego, inquam, quod ab illicitis tempero, mihi parco.*

117. *Multus* ne dubitaveris putare a Sidonio scriptum; id est in A et correctione ortum in V, nam prius, sicut in H, fuit *multis*, quod Savaro recepit. Idem sicut Wouwerius Elmenhorstius Mignius *satiricis* ante *hoc iurgio* ponit.

118. *Satiricis* in A et V est, sed in hoc primum *i* in *y* mutatum est.

119. *Scribis* pro *scribas* Baretus solus habet.

120. Paulo post hoc modo in A codice scribitur — Wouwerius idem ex "Vict. 2" adfert —: *tunc ille subridens, parce, ait, nobis. Ait* ceteris dicendi verbis, quibus hoc loco usus est scriptor, aequalitate quadam loci congruit, nec minore vi pronuntiare *nobis* possis quam *vel nobis*; *subridens* imperator etiam antea inducitur: *subrisit Augustus, ut erat auctoritate servata, cum se communioni dedisset, ioci plenus.* Nec desideratur *sed*, quia ex antecedentibus patet totam rem illam Sidonio non damno futuram fuisse. Sed cavendum mihi est ne nimis hoc argutiis persequi videar.

Ep. I 11 (205). *Ad haec ipse Paeonium conspicatus nutu coepit consulere nutantem placeretne condicio.*

121. *Haec*, ut monuit Chatelainius, ex omnibus libris (A H R b V F L) scribendum est; *hoc* Sirmondus Mignius Baretus habent.

Ep. I 11 (206). *Paululum ab aspectu imperatoris processeramus atque etiamnum chlamydibus induebamur, cum mihi consul ad pectus, praefectori ad manus cadere, ipse ille meus amicus crebro et abiecte miserantibus cunctis humiliari, ita ut timerem ne mihi invidiam supplicando moveret, quam criminando non concitaverat. Dixi ad extremum pressus oratu procerum conglobatorum, sciret conatibus suis versu nil reponendum, derogare actibus meis in posterum tamen si pepercisset; etenim sufficere debere quod satirae obiectio famam mihi parasset, sed sibi infamiam.*

122. *Inspectu* Wouwerius Savaro Elmenhorstius repugnantibus codicibus (A H b V) pro *aspectu* scribunt. Hoc autem scripsi ex H V F, non *adspectu.*

123. *Ipse ille meus amicus* scriptum est in H R Z b, *ille meus ipse amicus* ex O adfertur, in A repperi *ille* .... *ipse meus* (hoc verbum superscriptum est) *amicus.* Chatelainius *reus* reponere voluit, quod exigua nititur auctoritate quorundam non integrorum aut recentiorum codicum, N L, in quo etiam *meus* invenitur, Regin. 412 Ottobon. 2013 Paris. 3477; in N secunda manu paulo etiam audacius *amicis* scriptum est, quo recepto Wouwerius *reus, amicis* edidit; etiam ex U *ipse ille reus amicis* Mauius adnotat. Antea eum dixerat *accusatorem suum, contionatorem suum*, quam ob rem *reus* minus diligenter ac ne apte quidem positum quid hic agat non video. Addenda saltem erat apertior *accusatoris* et *rei* oppositio. Ex obscurata archetypi scriptura variae codicum lectiones facile explicantur; cfr ep. I 7 (192) *reus noster.*

124. *Reponendum* editores habent et plurimi codices, ex A et b adnotavi *respondendum.* Hoc verbum idem esse

ac par pari referre in lexicis exemplis allatis demonstratur, ut Cic. Att. XVI 7, 6 *provide, si cui quid debetur, ut sit unde par pari respondeatur*, comparandum etiam est notum illud Cic. Cat. II 11, 24 *iam vero urbes coloniarum ac municipiorum respondebunt Catilinae tumulis silvestribus*. Prorsus tamen simile exemplum non novi, sed *reponere* vix aptum dixeris; ego hoc quoque loco in A codice dubito an verum servatum sit.

125. *Si tamen in posterum* Sirmondus Mignius Baretus scribunt; eo ordine, quo haec verba supra scripsi, in A H R b V F L ponuntur.

126. *Sed*, quod Elmenhorstius solus retinuit, ex codicibus A H R b V F L addidi.

Ep. II 1 (233). *Rediit ipse Catilina saeculi nostri nuper Aturribus, ut sanguinem fortunasque miserorum, quas ille ibi ex parte propinaverat, hic ex asse misceret.*

127. In V *qua ille sibi* scriptum est, ex Wolfenbuttelano secundo *quas ibi* adfert Mohrius, ceteri codices id quod supra scripsi habent idemque Savaro Sirmondus Mignius Baretus; Elmenhorstius *quas ibi* edidit, Wouwerius *quas sibi*, quamquam in adnotatione sibi visus est *quas ibi* scripsisse. Mohrius et *ille* supervacaneum esse et *ibi* sequenti *hic* non apte opponi recte disputans — uno tamen loco ep. VII 1 (384) *inde* et *hinc* opponuntur: *ut nobis inde veniat pars patrocinii, quia vobis hinc rediit pars patroni* — *illic* reponendum censet *ibi* omisso vel potius *illic sibi* scribendum, quod *propinare* a Sidonio semper cum dativo iungatur. Ad hoc probandum quae adfert (ep. VI 1, VII 7, IX 4) ita comparata sunt, ut non ad ipsum subiectum, sed ad aliam personam dativus relatus sit; inter utrumque quid intersit facile intellegitur. Mihi sic videtur Sidonius scripsisse: *quas illic ibi ex parte propinaverat*; saepe enim pronomina coniungit, ut *iste hic* illud vulgatissimum. De *illic ibi* cfr Plaut. Capt. V 4, 3 (1000) *illic ibi demumst locus, ubi labore lassitudost exigunda ex corpore*. Propius etiam ad codicum lectionem accederet *illi*

ibi; sed *illi* pro *illic* positum quamquam a quotidiano sermore non videtur abhorruisse, dubito num Sidonio placuerit. Apuleio hanc formam Hildebrandius restituit (Met. IV 13, 148).

Ep. II 1 (233). *In concilio iubet, in consilio tacet; in ecclesia iocatur, in convivio praedicat; in cubiculo damnat, in quaestione dormitat. Implet cotidie silvas fugientibus, villas hostibus, altaria reis, carceres clericis, exultans Gothis insultansque Romanis, illudens praefectis colludensque numerariis, leges Theodosianas calcans Theodoricianasque proponens, veteres culpas, nova tributa perquirit.*

128. Non pauca huius loci Wouwerius contra codicum testimonia edidit, sicut illud, quod pro *ecclesia* reposuit, *consessu* — ad quod adnotat "vet. *in ecclesia*" —; male, neque enim in quovis consessu aut *praedicare* aptum est aut *iocari* ineptum. Parva restat huius lectionis commendatio, quam quis ex consona eiusdem syllabae repetitione (*concilio consilio consessu convivio*) quaerat.

129. *Hostibus* ex A H Z Y scripsi, idem Savaro Elmenhorstiusque; *hospitibus*, quod est in R V L — in hoc tamen alterum quoque repperi, — retinuerunt Wouwerius Sirmondus Mignius Baretus. Id gallici interpretes sic vertunt: remplit les forêts de fugitifs, les campagnes de citoyens. *Hostibus* verum esse vel iis quae sequuntur: *exultans Gothis insultansque Romanis* indicari apparet. Favebat enim Seronatus Gothis, qui inimici erant Romanis; illos ad se invitabat, hos iniuriis vexabat.

130. Verbo *calcans* melius fortasse opponitur *praeponens* quam *proponens.* Hoc tamen defendere possis collato Suet. Calig. 41: *eiusmodi vectigalibus indictis neque propositis cum per ignorantiam scripturae multa commissa fierent, tandem flagitante populo proposuit quidem legem, sed et minutissimis litteris et angustissimo loco, uti ne cui describere liceret.*

Ep. II 2 (210). *Iam non solum calet unda, sed coquitur. Et nunc dum in carbaso sudat unus, alter in bombyce, tu endromidatus exterius, intrinsecus fasceatus, insuper et concava municipii Amerini sede compressus discipulis non aestu minus quam timore pallentibus exponere oscitabundus ordiris: Samia mihi mater fuit. Quin tu mage, si quid tibi salubre cordi, raptim subduceris anhelantibus angustiis civitatis et contubernio nostro aventer insertus fallis clementissimo recessu inclementiam canicularem?*

131. Ex A adnotavi *quoquitur*; tales formae sermoni plebcio accommodatae licet librariis atque etiam fortasse grammaticis quibusdam nimis placuerint, a Sidonio vix admissae videntur. Cfr de hac re quae dixit Kellerus (Epilegomena zu Horaz II pag. 523); in hac eadem epistula (211) *quonum* pro *conum* primum scribebatur in V codice.

132. *Intrinsecus* ex consentientium codicum AHRZV (*intrinsetus*) F L X Y auctoritate scripsi, idem a Wouwerio Savarone Elmenhorstio servatum probavit Chatelainius; *interius* non necessaria facta mutatione Sirmondus Mignius Baretus scripserunt. *Extrinsecus* pro *exterius* in uno libro scriptum esse dicit Wouwerius; qui emendandi conatus ut melior, sic non magis necessarius est, quamvis eadem verba ep. VI 9 (349) opponantur: *nam quid potest esse castigationis huiusce tenore pretiosius, in qua forte peccato animus aeger repperit intrinsecus remedium, cum non valeret extrinsecus invenire convicium.* Et in hac quam tractamus epistula (213) *interius* pro *intrinsecus* a Mignio scriptum est hoc in quibusdam libris esse adnotante. Facile ea mutatio a librariis fieri potuit.

133. *Fasceatus* scripsi ex A H R V F, idem Savaro Elmenhorstiusque; ceteri editores *fasciatus* maluerunt.

134. *Concava municipii Amerini* habet A (*pii* in ras.) et Paris. 2783; idem, ut videtur, ex Ms. Achillis Statii et vetere libro adfert Savaro, ex libro Danielis Wouwerius. In archetypo parvo vitio scriptum fuisse crediderim *municipis Amerini*, quod mansit in V U F L N Paris. 3477. In H ex *municipiscamerini* factum est *municipiicamerini*, hoc seiunctis verbis in R Z P (*municipii sede camerini*) X Y

scribitur, idem in F additur. Ex Paris. 2170 *cava municipii sede compressus* adfert Baretus, ex cuius adnotatione ceteras quoque Parisiensium codicum lectiones attuli. De *Arverno* municipio cogitat Sirmondus, de vicino oppido dictum esse ego suspicor collato carm. 24. Quod utrum *Amerinum* an *Camerinum* rectius appellandum sit, cum vix conici, nedum probari possit, equidem maiore codicum auctoritate impulsus reiecto hoc, quod ab editoribus est receptum, illud scribendum censeo.

Ep. II 2 (210). *Sed donec domicilio competens vestibuli campus aperitur, mediam vallem rectis tractibus prosequuntur latera clivorum usque in marginem villae, quae in Borean Austrumque conversis frontibus tenditur.*

135. *Tramitibus* pro *tractibus* in R scriptum Wouwerius recepit; *tractatibus* in V est et fuit fortasse etiam in F.

136. *Borean* nescio an ex H V F scribendum sit; in A sicut in editionibus *Boream* est.

Ep. II 2 (211). *Hinc frigidaria dilatatur, quae piscinas publicis operibus extructas non impudenter aemularetur; primum tecti apice in conum cacuminato, cum ab angulis quadrifariam concurrentia dorsa cristarum tegulis interiacentibus imbricarentur. Ipsa vero convenientibus mensuris exactissima spatiositate quadratur, ita ut ministeriorum sese non impediente famulatu tot possit recipere sellas quot solet sigma personas. Fenestras e regione conditor binas confinio camerae pendentis admovit, ut suspicientium visui fabrefactum lacunar aperiret.*

137. Quae prima litteris latius dispositis sunt excussa, in plurimis codicibus sicut in A H R V U X Y abesse videntur; ex Nanzii codice solo Savaro, ex optimo suo Wouwerius ea adfert et *concinentibus*, non *convenientibus*, quod tamen et ipse Savaro edidit et Sirmondus Mignius Baretus, scriptum esse dicunt. Mauius ex uno Z codice, cuius vix ulla est solius auctoritas, haec adnotavit. In hoc scrip-

tum est *conventientibus*, ex quo et *convenientibus* effici potest et *consentientibus*. Posterius aeque displicet atque *concinentibus*. Carere tamen his verbis non possumus neque quidquam in iis est quod a Sidonii genere loquendi abhorrere videatur.

138. In sequentibus Sirmondus *solii* scribi voluit reiecto *solet*, quod est in A H R Z V U F L X Y. Quae de Parisiensibus codicibus narrat Baretus, inter se ipsa repugnant. *Solii* si quis librarius reposuit, ex antecedentibus *solii capacis hemicyclio* conicere potuit. Utrum verius sit, mihi non tam certum videtur quam Sirmondo. Is *solii sigma* idem esse putat atque *solii hemicyclium* paulo ante dictum. Sed cavendum est ne alteram lectionem posse ferri temere negemus. Omnibus aliis locis, qui quidem vulgo adferuntur, *sigma* est mensa, sicut apud Sidonium ipsum carm. 17, 6 (557), quem locum Heidemannus in lexico Klotziano cum hoc quem tractamus non recte comparat, et 22, 212 (572). Itaque potuit sine dubio Sidonius hic eodem modo mensam commemorare atque ep. III 3 (260) *cum tibi non daret tot pugna socios quot solet mensa convivas*, immo multo etiam aptius. *Solet* si scripsit, *convenientes mensuras* dixit inter se congruentes. In ea quam solam probat Sirmondus lectione hoc ad caldarium non facile refertur.

139. *Pendentis* A et R recte servarunt, *pendentes* in H V L est idemque in editione Wouwerii.

140. *Suspicientium* ex A et R scripsi, non *suspicientum*.

Ep. II 2 (212). *Huic basilicae appendix piscina forinsecus seu, si graecari mavis, baptisterium ab oriente conectitur, quod viginti circiter modiorum milia capit. Huc elutis e calore venientibus triplex medii parietis aditus per arcuata intervalla reseratur. Nec pilae sunt mediae, sed columnae quas architecti peritiores aedificiorum purpuras nuncupavere. In hanc ergo piscinam fluvium de supercilio montis elicitum canalibusque circumactis per exteriora natatoriae latera curvatum sex fistulae prominentes leonum simulatis capitibus effundunt.*

141. *Appendex*, quod est in H R V (superscripto *vel dens*) F L et in A, ni fallor, posterius scriptum, Savaronem Elmenhorstiumque retinuisse miror.

142. Pro *conectitur*, quod est in A et V, male Savaro Elmenhorstiusque *complectitur* posuerunt, quod in H vidi.

143. *Purpuras*, quod ex omnibus fere codicibus (H R V F L U Y X, in hoc tamen prior est lectio *purpuratas*, ex *purpuratus* correctum) adfertur, in Z autem omittitur, ab omnibus, quod sciam, editoribus receptum, defendi solet talibus locis, ubi hoc verbum ad ornamenta orationi immixta et lumina dicendi refertur, qualis est ipsius Sidonii ep. II 10 (236): *sic omnes nobilium sermonum purpurae per incuriam vulgi decolorabuntur*. Vix aptum Sirmondus ex Luciano comparat exemplum, ubi de domo interiore hoc dicitur: φωτός τε πολλοῦ ἀνάμεστος καὶ ὡς πορφύρα διηνθισμένος. Sed quis peritiores, ut ait Sidonius, architectos concedet eius modi vocabulo artis usos esse, quo ne imperiti quidem ad columnas appellandas abusi esse videantur. Verisimilius mea sententia putamus hoc a librario de columnis *purpuriticis* vel *porphyreticis* cogitante positum esse, qui non animadvertisset paulo ante Sidonium se *peregrinarum cautium rigore ditatum* esse negavisse. Et longe alia est A codicis lectio: *absides vel piramides*, prius tamen verbum in rasura prima, ut videtur, manu scriptum in duos versus sic divisum repperi: *absi des*. In Petri Colvii notis ex Puteani libro adfertur *apsidas*, cui superscriptum sit *vel piramides*, Wouwerius autem ex duobus libris *absides*, ex tribus *piramidas* adnotavit. Atque Colvius quidem *apsidas* ferri posse dicit, *piramides* glossema esse; addit locum Plinii, qui mea quidem sententia cum hoc loco conferri non potest, ubi cubiculum dicitur *in hapsida curvatum* (ep. II 17, 8). Notum autem est hoc verbo significari arcum circuli. Ego vero *pyramidas* a Sidonio scriptum putaverim, *absides* explicandi causa additum. In archetypo fortasse fuit PVRPYRAMIDAS, ex quo facile, praesertim cum paulo ante dictum esset *abrupta purpurea*, effectum est *purpuras*. Columnas aut contignationes iis impositas existimo metarum vel cipporum frontem imitatas esse et *pyramidas*

vocatas fuisse, Sidonium autem *aedificiorum pyramidas* dixisse, cum ab usu quotidiano verbi recederet, librarium hoc ad *arcuata* illa *intervalla* relatum non recte explicavisse. Dubia haec esse minime ipse nego neque ullis exemplis firmata: illud mihi persuasissimum est vulgatam lectionem deserendam esse.

144. Pro *fluvium* Wouwerius et Mignius *fluentum* nescio unde sumptum scripserunt.

145. Wouwerius *eliquatum* maluit quam *elicitum* scribere, in adnotatione illud in sex libris esse dicit. Quod qui coniecit, in mente fortasse habuit Apul. Met. X 30 (253) (mons) *summo cacumine de manibus fabri fonte manante fluvialis aquas eliquans*, ubi collato Met. IV 6 (145) *de summo vertice fons adfluens bullis ingentibus scaturribat perque prona delapsus evomebat undas argenteas* scribendum puto *eliciens* ceteris verbis, quae recte defendit Hildebrandius, servatis. Neque enim concesserim umquam a latino scriptore ita dictum esse *eliquare*, ut idem esset atque aquas eliquatas emittere. Et ipse Sidonius in hac eadem epistula *coactus per cola subterranea deliquari* de aqua defaecanda dixit.

146. *Canalibusque* ex A H R V F L scripsi, Wouwerius et Elmenhorstius *et canalibus* habent.

Ep. II 2 (213). *Hinc egressis frons triclinii matronalis offertur; cui continuatur vicinante textrino cella penaria discriminata tantum pariete castrensi. Ab ortu lacum porticus intuetur magis rotundatis fulta colüriis, quam columnis invidiosa monubilibus. A parte vestibuli longitudo tecta intrinsecus patet mediis non interpellata parietibus; quae quia non nihil ipsa prospectat etsi non hypodromus, saltim cryptoporticus meo mihi iure vocitabitur. Haec tamen aliquid spatio suo in extimo deambulacri capite defrudans efficit membrum bene frigidum, ubi publico lectisternio extructo clientularum sive nutricum loquacissimus chorus receptui canit, cum ego meique dormitorium cubiculum petierimus.*

147. *Penaria* scripsi ex A H V, *penuaria* Sirmondus Mignius Baretus; hoc ex recentioribus scriptoribus adfertur, illud ex antiquioribus, ut Cic. de sen. 16, 56 *penaria* (in uno codice *fenaria*). Etiam Paul. Diac. ed. Muell. pag. 211 *penarius* scriptum est.

148. *Castrensem* murum Savaro caespiticium dixit, qualis in castris fieret glebis et caespitibus e terra circumcisis, in quo mirum quam obscure loquitur Sidonius. Eodem modo hic locus a gallicis interpretibus explicatur (I pag. 201) et tamen sic vertitur: et n'est séparé que par une cloison du lieu où l'on fait la toile. Sed omnis tolletur difficultas, si scripseris *discriminata tantum pariete craticio*. Cfr Vitruv. II 8, 20 *craticii* (parietes) *vero velim ne inventi quidem essent* et Pallad. I 19, 2 *tunc divisas cellas, si magnus sperabitur seminum modus, grano cuique tribuemus; et, si terrae pauperies minora promittit vel craticiis podiis erunt discernenda granaria vel vimineis vasculis reditus tenues colligemus.*

149. *Coluriis* coniectura Sirmondi probata scribere non dubitavi, ut columnis integris pilae ex pluribus saxis in orbem accisis factae opponerentur; ceteri omnes editores *collyriis* habent. In codicibus A R V L N P Paris. 2782 et 9551 scriptum est *colliriis*, quod vix uno ductu a *coluriis* discrepat. In H et Paris. 2783 (Baretus 2983 sine dubio per errorem scripsit) repertum est *collyriis*, idem in V ex priore illa lectione effectum est. Aptius fortasse quam quae attulit Sirmondus contuleris verba Boetii (de inst. arithm. II 24), qui haec de pyramide dixit: *et quotcumque tetragoni defuerint, totiens eam curtam esse dicemus, ut, si unitas defuerit, primus quadratus, curtam, quam Graeci* κόλουρον (in uno codice est κολοιρον) *vocant;* deinde explicatis verbis διχόλουρον et τριχόλουρον, *hoc autem* inquit, *non in solis a tetragono pyramidis, sed in omnibus ab omni multiangulo progredientibus speculari licet.*

150. *Monubilibus*, quod in A (ex *munubilibus* correctum) H R marg. (in ipso codice est *monilibus*) Z V X scriptum est, et Savaro et Sirmondus defenderunt. Hic *monubiles* idem esse atque insignes dixit. Exempla quae attulerunt ex Cypriano Diacono *monubiles arcas corporibus humandis*

(sacrarum virginum) *de saxis ingentibus* et ex vetere itinerario Hierosol. ed. Wessel. pag. 595 *monumenta duo monubiles mirae pulchritudinis,* ea ideo non sunt apta, quod in iis monumenti significatio inest, quae quidem huic verbo convenit. In L codice coniectura non felici repositum inveni *volubilibus.* — Hoc librarius fortasse *tortuosis* intellegi voluit, quales illa aetate columnas fieri solere constat; longe aliter Apuleius *volubilem pilam* dixit Met. II 4 (116) *atria longa pulcherrima columnis quadrifariam per singulos angulos stantibus attolerabant statuas palmaris deae. Facies quaeque* (*quaeque* ego scribendum puto, non *utraque* ab Hildebrandio coniectum) *pinnis explicitis; supergressu pilae volubilis instabile vestigium plantis roscidis decitantes nec ut maneant inhaerent et iam volare creduntur.* — Ex aliis libris calamo scriptis a Colvio et Wouwerio adferuntur *monibilibus, mobilibus, nobilibus,* hoc scribit Wouwerius non recepta sua ipsius coniectura *manubialibus.* Sed in H V F codicibus additur *vel mono,* ex qua lectione, quamvis exigui momenti esse videatur, haud scio an efficiendum sit *monolithis.* Nam hoc ipsum magnopere desideratur nec, si litterarum ductus respicias, prorsus a tradita lectione abhorret. Cfr Laber. mim. 39 (Non. 544, 32) *cum provincias dispoliavit, columnas monolitas* (Bamb. cod. *molitas*) et Ampel. 8, 12 *postes marmorei monolithi* et eum locum itinerar. Hierosol. quem modo attuli *vere monolitus.*

151. De *intrinsecus* vide quae pag. 38 diximus.

152. *Non nihil* quod est non solum in A, sed etiam in H (in R *non* omittitur, in L post additum est) Z X, scribendum censeo. Nam in cryptoporticu hoc ipsum quod prospectat laudatur, ut Plin. ep. V 6, 29: *a latere aestiva cryptoporticus in edito posita, quae non aspicere vineas, sed tangere videtur.*

153. *Hypodromus* scripsi, in A H V *hipodromus* est, non *hippodromus.* Illud et re ipsa requiritur et a Sirmondo docte et prudenter defenditur idemque Plinii epistulae, quam modo commemorabam, restituendum docetur. De circo enim Sirmondus recte, quorsum, inquit, in aedium vestibulo aut quid habet cum cryptoporticu commune? Mignius et Bare-

tus Sirmondum sequuntur. Gallici interpretes, ut solent, aliud probant, aliud scribunt; *hypodromus* in adnotatione explicant, *hippodromus* edunt. Hoc Wouwerius et Elmenhorstius scribunt, Savaro, qui scripsit *hyppodromus*, defendit.

154. *Defrudans* expuncto ante *u* littera *a* scriptum est in A, *defrudans* ceteri codices et editores habent, quod quamvis vulgi sermoni magis accommodatum videatur, dubito num a Sidonio scribi solitum sit. Ep. I 2 init. (175) certe *defraudet* scribitur; ibi H codicis scriptor quod aliquid in margine addere volebat, notam apposuit.

155. *Clientularum* ex A et L scripsi, idem in HRVF aut in margine additur aut priori lectioni *clientiarum* (in H tamen, ni fallor, est *clientarum*) superscriptum est. *Clientarum* editores scribunt; sed etiam in altera illa plurimorum codicum lectione *clientiarum* latet *clientularum*, cum in eorum archetypo *u* littera per compendium litterae *l* adiectum exprimi potuerit. Neque hoc verbum aut ei de quo quaerimus loco aptum aut Sidonio esse negaverim conveniens, praesertim cum iam a Tacito (dial. 37 init.) *ergo non minus rubore quam praemiis stimulabantur, ne clientulorum loco potius quam patronorum numerarentur* forma masculina novata esse videatur.

156. Pro *sive nutricum* Wouwerius et Elmenhorstius, quod sciam, soli ponunt *nutricumque*.

157. In A fuit fortasse *dormitorium*, correctione ortum est *dormitorii*, quod collato vel hoc uno loco Plinii (ep. V 6, 21) *est in hac diaeta dormitorium cubiculum, quod diem clamorem sonum excludit* non est cur alteri lectioni *dormitorium* praeponamus.

Ep. II 2 (214). *Hinc iam spectabis, ut promoveat alnum piscator in pelagus, ut stataria retia suberinis corticibus extendat, aut signis per certa intervalla dispositis tractus funium librentur hamati, scilicet ut nocturnis per lacum excursibus rapacissimi salares in consanguineas agantur insidias. Quid enim hinc congruentius dixerim, cum piscis pisce decipitur?*

158. *Hinc*, quod est in A H R V F L, non dubito quin eodem modo posuerit Sidonius atque ep. IV 18 (274) *sed quid hinc* (id est, ni fallor, de hac re) *amplius? Istinc* similiter ep. II 10 positum videbimus corruptum esse. Alium *hinc* particulae usum paulo liberiorem, quamvis propius ad primam significationem accedat, sed ne eum quidem lexicographis notum, his locis illustrabo: ep. IV 4 (266) *simul et ipse hinc amplius capiebatur, quod se diligi magis quam quasi coli intelligebat*, IV 24 (293) *atque hinc superna regna mercari, quod beneficia terrena non venderet*, V 3 (322) *cuius improbitas vel hinc maxime dinoscitur* (ita ex A H V scripsi, non *dignoscitur*), *quod tacetis*. Hoc secundi libri loco *hic* a Wouwerio Sirmondo Mignio Bareto scriptum est.

Ep. II 2 (216). *Fluvio intratur, qui salebratim saxorum obicibus affractus spumoso canescit inpulsu, et nec longum scopulis praecipitibus exemptus lacu conditur. Quem fors fuat an incurrat, an faciat, praeterit certe, coactus per cola subterranea deliquari, non ut fluctibus, sed ut piscibus pauperaretur, qui repulsi in gurgitem pigriorem carnes rubras albis abdominibus extendunt.*

159. *Fors fuat* non omnes intellexerunt librarii ac ne editores quidem omnes. In V solo id ego suspicor fuisse recte scriptum — post *f* enim in vocabulo *fuat u* erasum videtur, nisi forte fuit *fluat* — nec male explicatum est his verbis: *id est dubium est vel sit*, in A et U F *for fuat*, in H Z P *forfuat* scriptum est, item in Savaronis Elmenhorstiique editionibus. In L codice librarius *quem* (*q* superscripto *ue*) *confluat* (*cfluat*) *an incurrat aut faciat* scripsit: non melius in X *fors influat*, idem in Y secunda manu, prima *fors. luat* scriptum est. Wouwerius *fons fluat*, in adnotatione *fors fluat* scripsit. Sirmondus Mignius Baretus veram habent lectionem, quam hic tamen non facilem esse intellectu ait. Sufficit ex ipso Sidonio exempla adferre ep. VIII 3 (417) *si vera metimur aestimamusque, fors fuat* (in H et V *vel fiat* additur) *an philosophi vitae scriptor*

aequalis maiorum temporibus accesserit, certe par saeculo meo per te lector obvenit, et IX 7 (443) *scribam tuum seu bibliopolam pretio fors fuat officione* (sic A H R Z, *officiove* editores) *demeritum.* Unum tamen adscribam locum Symmachi ep. III 6, qui verbo *fuat* corrupto ita scriptus est: *fors fuit an* (in aliis libris *ut*) *dies longa quandoque hebetet laxatum dolorem*, cfr Handii librum, qui Tursellinus inscribitur (II 712). Addo *incurrendi* verbum eodem fere modo a Sidonio positum esse ep. II 5 (218) *Ioannes familiaris meus inextricabilem labyrinthum negotii multiplicis incurrit.*

Paulo post Collombetum, quod in gallicae versionis libro *colla*, non *cola* scripserit, Baretus, qui nescio quo modo lynceus hoc uno loco factus aliquid repperisse sibi videtur, audiendum esse negat. Quod cum hoc modo vertatur: par de petits couloirs souterrains, typothetae errore ortum videtur.

Ep. II 4 (217). *Et cum illi familiae splendor, probitas morum, patrimonii facultas, iuventutis alacritas in omne decus pari lance conquadrent, ita demum sibi tamen videbitur ad arcem fastigatissimae felicitatis evectus, si gratiae tuae sodalitate potiatur.*

160. Pro *pari* scripserim *parili*, quamquam in A solo vidi; idem ex libro Pithoei adnotat Wouwerius. *Pari* in H R Z V L X est. Substantivo *parilitas* certe saepe Sidonius utitur, cfr ep. II 2 (211) *consequenti unguentariae spatii parilitate conquadrat*, II 9 (223) *licet quaepiam volumina quorumpiam auctorum servarent in causis disparibus dicendi parilitatem*, III 1 (251) *in singulis quibusque personis vel expetendis aequaliter vel cavendis iudicii parilitate certavimus*, III 6 (249) *qui statum celsitudinis tuae, ut hactemus parentum nobilitate decorabat, ita etiam nunc titulorum parilitate fastigat*, IV 1 (267) *secundus nobis animorum nexus accessit de studiorum parilitate*, IV 4 (265) *hic meus frater natalium parilitate, amicus animorum similitudine.*

Ep. II 7 (220). *Igitur ignosce ad tam sanctae conscientiae praerogativam raptim perniciterque properantibus, quandoquidem sententiam tuam nec victus ut stolidus accusat, nec victor ut argutus irridet, veritatisque respectu dependunt tibi addicti reverentiam, gratiam perpendunt liberati.*

161. Optime, ni fallor, in fine huius sententiae duo ponuntur verba *dependunt* et *perpendunt*, quorum alterum alteri respondeat, ut illud victis quasi invito, hoc victoribus lubentissimo animo Explicium colentibus convenire videatur. Et talis hic locus in A exhibetur, *perpendunt* autem Mauius usitato compendio scriptum rettulit, ego vero *pro* vocis compendium adnotavi. *Pro* posito nescio an aptior esset oppositio, quacum conferri posset Plaut. Asin. II 2, 39 (305) *nec dependes nec propendes, quin malus nequamque sis*, ubi in libris esse *dependis* et *propendis* adnotant Goetzius et Loewius (edit. Ritschel. I 4 Lipsiae 1881). Id obstat quod *propendo* alibi non repertum est ac ne illo quidem loco Plautino transitive, ut aiunt, ponitur. Utut haec res se habet, deteriores sunt aliorum codicum lectiones. Nam in V et U posterius verbum, in R Z *dependunt tibi* omittitur, in H utrumque, sed *perpendunt* suo loco ponendum in margine significatur. In X et Y *dependunt tibi* non suo loco ponitur, sed posterius sic scribitur: *gratiam tibi perpendunt*, in sequentis autem versus initio *dependunt* additur; quod festinantis videtur esse librarii, qui alterutrum in uno, utrumque in alio exemplari reppererat. Editores quos cognovi omnes nulla commemorata librorum discrepantia V et U codicum lectionem expresserunt.

Ep. II 8 (220). *Maestissimus haec tibi nuntio. Decessit nudius tertius non absque iustitio matrona Philimatia morigera coniux, domina clemens, utilis mater, pia filia, cui debuerit domi forisque persona minor obsequium, maior officium, aequalis affectum.*

162. *Decedit* in A solo est, *decessit* in H R Z V L X. Illud si scripsit Sidonius, quod facile crediderim, vix integrum

librarii reliquerunt. Conferendus est locus similis, ep. III 5 (254) *siquidem fundi ipsius integritas familiae suae dominium usque in obitum vitrici nuper vita decedentis aspexit.* Ibi ex defectu participii perfecti excusatio quaeri potest, hoc loco ex calente, ut ita dicam, oratione defensio.

Ep. II 8 (221). *Quam* (neniam funebrem marmori incisam) *si non satis improbas, ceteris epigrammatum meorum voluminibus applicandam mercennarius bibliopola suscipiet. Si quid secus, sufficit saxo carmen saxeum contineri. Hoc enim epitaphium est.* Sequuntur versus.

163. *Mercennarius* ex A H V scribendum est, non *mercenarius*, quod in editionibus invenitur.

164. Verba *hoc enim epitaphium est* miror non displicuisse editoribus. Wouwerius tamen postquam ea omisit, in tribus codicibus *hoc epitaphion est* additum esse adnotat. In A *epytaphion*, in R *epytáfion*, in H Z V *epitafion*, in Y *epitaphion*, in U *epithaphion*, in X *ephithaphion* scriptum est; graeca igitur forma in archetypo fuit. In V *hoc enim*, quod in initio versus ponitur, additum esse suspicor, *est* per compendium *ē* scriptum vidi. A librariis hic titulus videtur esse carmini inscriptus, — quales aliis quoque locis videmus, ubi epistulae aliquid inseritur aut subiungitur, sicut ep. III 12 (241) carmini adscribitur titulus in A H V, ep. IV 18 (274) *epitaphium* in A, ep. V 17 (319) *tetrastic in mappa* (id est *in mappam*) in H et V, — et postea cum verbis scriptoris male conexus. Neque enim ignorabat Sidonius epitaphium τάφος θάπτειν cum saxi verbo ne minima quidem significationis propinquitate coniuncta esse.

Ep. II 9 (224). *Prandebamus breviter copiose senatorium ad morem, quo insitum institutumque multas epulas paucis parapsidibus apponi, quamvis convivium per edulia nunc assa, nunc iurulenta varietur. Inter bibendum narratiunculae, quarum cognitu hilararemur institueremurque, quia eas bifariam orditas laetitia peritiaque comitabantur.*

165. *Senatorium*, quod in omnibus et codicibus et editionibus scriptum videtur, Savaro defendens solis Sidonii verbis allatis nihil aliud efficit, nisi ut etiam plus adferat dubitationis. Fertigius in programmatis Virceburgensis pag. 22 *seniorum* scribi vult, Lodoicum Caduceum Savaro dicit coniecisse *cenatorium*, quod mihi quoque primum legenti in mentem venit. Magis mihi tamen placet *Saliarem ad morem*, ad quod probandum cum multa alia conferri possint, unum satis habeo exscribere locum Ciceronis Att. V 9, 1: *cum quidem et Corcyrae et Sybotis muneribus tuis, quae et Araus et meus amicus Eutychides opipare et* φιλοπροςηνέστατα *nobis congesserant, epulati essemus Saliarem in modum.* Apuleius quoque *salias* cenas (Met. IV 22, 152, ubi *saliens* et *alys* in codicibus reperta sunt), *epulas saliares* (Met. VII 10, 192, ubi *alias res* in uno codice est), *cenas saliares* (Met. IX 22, 227) commemorat. De prandio etiam luxuriosiore Sidonius ep. II 13 (231) his verbis mentionem facit: *cumque pransuro Sardanapallicum* (id in AHV est, non *Sardanapalicum*) *in morem panis daretur e Leontina segete confectus* et q. s. Quod conieci ab eo, quod in codicibus reperitur, non plane diversum est, modo per dittographiam *copiofefefaliarem* scriptum fuisse concedatur.

166. *Parapsidibus* ego ex A scripsi, non *paropsidibus*, sicut editores; in H et V *parabsidibus* repperi.

167. *Varietur*, quod in AHV scriptum est, non est postponendum ei lectioni, quam Savaro Elmenhorstius Sirmondus Baretus nescio unde sumptam receperunt, *variaretur*.

168. *Institueremur* omisso *que* AHV scribunt, quos tamen hoc loco sequi ausus non sum. Cum sequeretur *quia*, facile *que* intercidere potuit. *Instrueremurque* Wouwerius solus scripsit.

169. *Quia* Wouwerius omisit, Elmenhorstius nescio qua auctoritate motus in *laute* mutavit.

170. *Orditus* quamvis non prorsus careat exemplis, dubito num a Sidonio sit probatum, praesertim cum hoc loco aptius *ordinatas* scribi videatur.

Ep. II 10 (235). *Illud appone quod tantum increbuit multitudo desidiosorum, ut nisi vel paucissimi quique meram linguae latiaris proprietatem de trivialium barbarismorum rubigine vindicaveritis, eam brevi abolitam defleamus interitamque; sic omnes nobilium sermonum purpurae per incuriam vulgi decolorabuntur. Sed istinc alias. Interea quod petis accipe. Petis autem ut, si qui versiculi mihi fluxerint, postquam ab alterutro discessimus, hos tibi pro quadam morarum mercede pernumerem. Dicto pareo. Nam praeditus es quamquam iuvenis hac animi maturitate, ut tibi etiam natu priores gerere morem concupiscamus.*

171. H codicis scriptor in verbo *increbuit* litterae *u* superscripsit *r*, *increbruit* Wouwerius et Savaro scribunt.

172. *Latiaris linguae*, inverso eo qui est in codicibus (A H V) ordine, omnes ediderunt. *Latialis*, quod correcto altero *l* inveni in H, Wouwerius recepit.

173. *Interitamque*, quod in A et H scriptum est, Wouwerio in adnotatione placuit, in verbis Sidonii exscribendis displicuit; posuit enim *interemptamque*. Ex V *inti . . . tnque* adnotavi, in quo quid lateat vix discernas. Mihi quoque *interitamque* illud suspectum videtur, non quod hac forma Sidonium uti potuisse negem, sed quod iis quibus hoc loco utitur verborum numeris eum enuntiatum conclusisse neque vidi neque, cum magnam eius in talibus rebus curam esse animadverterim, credo.

174. *Istinc* recte servatum est in A H R Z V X et in Savaronis Elmenhorstiique editionibus; *isthaec* Wouwerius Sirmondus Mignius, *istaec* Baretus scribit. Similis locus est ep. III 4 (253) *sed istinc alias*, id est de ista re, ubi Sirmondus *isthinc*, Wouwerius *isthaec* posuit. Cfr quae pag. 46 de ep. II 2 (214) *hinc* dixi.

175. *Fluxerint* ex A H V non dubitavi scribere, quamquam simili loco ep. I 1 (173) indicativum modum poni memini: *diu praecipis, domine maior, summa suadendi auctoritate, sicuti es in iis quae deliberabuntur consiliosissimus, ut si quae litterae paulo politiores varia occasione fluxerunt, prout eas causa persona tempus elicuit, omnes retractatis exemplaribus enucleatisque uno volumine includam,*

Quinti Symmachi rotunditatem, Gai Plinii disciplinam maturitatemque vestigiis praesumptiosis insecuturus. Wouwerius Sirmondus Mignius Baretus hoc quoque loco, de quo nunc agitur, *fluxerunt* habent.

176. In ultima sententia ante verba *quamquam iuvenis* in Wouwerii editione inculcatum est *his morum dotibus* et post illa *et* additum. Quae idem vir doctus plerosque manuscriptos "ignorare" confirmat, neque in A H R Z V U X Y exstant. Sic saltem scribi oportuit: *praeditus es his morum dotibus et quamquam iuvenis hac animi maturitate.* Sed ex ep. II 6 (219) *et his morum dotibus praeditus* sine dubio hoc additamentum irrepsit.

Ep. II 12 (227). *Certe ego vel tua soror inter spem metumque suspensi credidimus eius taedium augendum, si voluntati iacentis obstitissemus.* (Dicta est illa optare in suburbanum exire et ruris auram desiderare).

177. *Spem et metum* A solus habet, *spem metumque* H R Z V X, sicut editores.

178. *Voluptati* nulla causa est cur scribamus, quod fecerunt Sirmondus Mignius Baretus; nam *voluntati* in A (ex *voluntate* correctum) HRZVFX scriptum est.

Ep. II 13 (229). *Nam sicut hominibus reges, ita regibus dominandi desideria dominantur. Hic si omittamus antecedentium principum casus vel secutorum, solus iste peculiaris tuus Maximus maximo nobis ad ista documento poterit esse. Qui quamquam in arcem praefectoriam patriciam consularemque intrepidus ascenderat eosque quos gesserat magistratus ceu recurrentibus orbitis inexpletus iteraverat, cum tamen venit omnibus viribus ad principalis apicis abruptum, quandam potestatis inmensae vertiginem sub corona patiebatur nec sustinebat dominus esse, qui non sustinuerat esse sub domino.*

179. *Subsecutorum*, quod non solum in A est, sed etiam in O, nescio an recte Chatelainius existimet scribendum esse.

180. *Iste peculiaris* Wouwerius Sirmondus Mignius Baretus recte ediderunt; hoc enim ordine ea verba in A R V, inverso, qui Savaroni et Elmenhorstio probatur, in H Z X collocantur.

181. *Ad ista*, cum in A H R Z V P X Y non sit, in F superscriptum reperiatur, vereor ne quis librarius interposuerit. Et aliud in aliis codicibus, ut videtur, scriptum est. Baretus *ad istud* adfert, *ad isto* Mauius ex U adnotavit, *ad haec* Wouwerius scribit; de qua re cfr quae pag. 7 dicta sunt de ep. I 2 *fors offerat*. Savaro Elmenhorstiusque nihil addunt. Ad codicum testimonia id accedit, quod *hic* in initio totius sententiae positum ad hanc quoque partem refertur. Et hoc modo gallici interpretes vertunt, quamquam *ad ista* addunt: laissons de côté la chute de tant de princes qui ont passé et qui passeront encore; tout seul, ton Maximus pourra nous être ici d'un haut enseignement. Ac ne putes ita, ut a Sidonio esse scriptum exposui, minus eleganter dici, a Quintiliano (VI 3, 10), ut adiciam locum qui in promptu est, in initio sententiae *documento sunt iuvenes Tarentini* ponitur; cfr Caes. bell. gall. VII 4, 10 *leviore de causa auribus desectis aut singulis effossis oculis domum remittit, ut sint reliquis documento et magnitudine poenae perterreant alios.*

182. In sequentibus *expletus* A codicis scriptor exaravit, *in* idem, ni fallor, postea addidit. Ego vero censeo aut *expletus* scribendum esse aut saltem, si retineatur *inexpletus*, paulo post *tamen* in *tandem* mutandum esse. Gallici interpretes non recte vertunt: et qui, insatiable dans son ambition toujours renaissante, avait passé de nouveau par les premières magistratures, lorqu'il fut venu cependant de toutes ses forces au faîte escarpé de l'autorité souveraine. Neque enim ex verbis *ceu recurrentibus orbitis* quidquam efficitur, quod ad cupiditatem Maximi referri possit, sed scriptor, ut solet, verbis exaggeratis rem amplificat atque illuminat.

183. Vix apte hoc dicitur: *venit omnibus viribus*, cuius in locum haud scio an reponendum sit *intendit omnibus viribus*. Ac *venisse* ille vel eo significatur, quod post *sub corona* esse dicitur.

Ep. II 14 (232). *Unde et in pago Violoscensi, qui Martialis aetate citeriore vocitatus est propter hiberna legionum Iulianarum, suspicor diuturnius te moraturum. Quo loco tibi cum ferax vinea est, tum praeterea ipsum praedium magno non minus domino, quod te tuosque plurifaria frugum mansionumque dote remoretur.*

184. *Violoscensi*, quod A habet habuitque fortasse H, ego scripsi; *Vialoscensi* in H atque V et U scribitur, idque in omnibus quos viderit libris se repperisse dicit Sirmondus, cuius adnotationem Baretus exscripsit, idem ex quinque libris Wouwerius adnotat. Is ipse *Violacensi* scribit, *Violascensi* Elmenhorstius; *Violuascensi* ex quibusdam libris manuscriptis reposuit Savaro et eum quem Sidonius commemorat locum recte, ut videtur, coniecit finitimum esse vico, qui *Volvic* appellaretur. Cui quidem nomini similius est id, quod in A scriptum rettuli.

185. *Vocatus* cum in A solo reppererim, pleniorem formam *vocitatus* retinere malui.

186. *Quo loco*, quod non solum A habet, sed etiam H R Z V F X Y, non dubitavi scribere, quamvis exquisitius videatur *quo loci*, quod in HVF additum, a Wouwerio Savarone Elmenhorstio receptum inveni, ex F solo Chatelainius adfert. Potuerunt hoc facile librarii ex aliis locis Sidonii inserere, ut ep. IV 8 (269) *quo quidem loci sarcinulis relaxandis multa succedunt conducibilia;* cfr IV 1 (268) *quoquo loci es.*

187. *Praeterea ipsum praedium*, quod Wouwerius probavit, ex A et V adnotavi, Chatelainius ex AOF adfert, (in V et N *praeterea praedium* esse dicit, sed idem atque ego in V Mauius se vidisse mihi scripsit) *praeter ipsum praedium* in R et Z est, ingravescente, ut ita dicam, corruptela in H secunda manu — quid prima manu scriptum fuerit non certo scio — correctum est *praeter ipsam praedium*, idem in recentioribus codicibus X et Y et in plurimis editionibus scriptum est. Nullam equidem rationem puto adferri posse, quam ob rem aut spreto verbo *ipsum* solius N codicis lectionem *praeterea praedium* veram esse censeamus aut H codicis correctorem secuti *praeter ipsam* a Sido-

nio scriptum putemus, praesertim cum ex ea, quae optima codicum auctoritate nititur, lectione *praeterea ipsum praedium*, quo modo ceterae omnes lectiones ortae sint, omnibus appareat. Ac ne ulla restet dubitatio, quod *tum* antecedente *praeterea* supervacaneum videatur, Terentius elegantissimus cotidiani sermonis auctor ita dixit Ad. III 2, 47 (345) *primum indotatast; tum praeterea, quae secunda ei dos erat, periit* (paulo post *postremo* sequitur). Et *tum praeterea gubernatorem* paulo ante apud Sidonium ep. II 12 (227) legitur. Recte Chatelainius, quod non *vinea*, sed *praedium* prematur, eandem quam ego defendit lectionem. Et idem de codicum quoque dissentientium auctoritate facere videtur iudicium.

Ep. III 2 (257). *Salutat te populus Arvernus, cuius parva tuguria magnus hospes implesti non ambitiosus comitatu, sed ambiendus affectu. Deus bone, quod gaudium fuit laboriosis, cum tu sanctum pedem semirutis moenibus intulisti, quam tu ab omni ordine sexu aetate stipatissimus ambiebare; quae salsi erga singulos libra sermonis; quam te blandum pueri, comem iuvenes, gravem senes metiebantur.*

188. *Ambitiosus* ex A, in quo tamen prius scriptum fuit, ni fallor, *uitiosus*, H R Z V X Y scribendum existimo, non *ambitus*, quod ex U a Mauio adnotatum, in H prima manu additum a Sirmondo Mignio Bareto receptum est. *Ambitus comitatu* si quid est, non apte opponitur illis quae sequuntur *ambiendus effectu*, praesertim cum de ingrediente urbem agatur. Et Sidonius se ipse, ut interdum solet, imitatus ep. VII 9 in contione (370) *maxime ambiendus, quia minime ambitiosus* dixit. Similis est sententia ep. VII 17 carm. (393) *experteris cunctis nec te capit ambitus ullus*. Conferendum etiam illud ep. VIII 3 (417): *a divitibus ambitum nec divitias ambientem.*

Ep. III 3 (259). *Interea tu caesis quibusque optimis, quos novissimos agmini non ignavia, sed audacia fe-*

cerat, nullis tuorum certamine ex tanto desideratis solus planitie quam patentissima potiebare, cum tibi non daret tot pugna socios, quot solet mensa convivas. Hinc iam per otium in urbem reduci, quid tibi obviam processerit officiorum plausuum fletuum gaudiorum, magis tentant vota conicere, quam verba reserare. Siquidem cernere erat refertis capacissimae domus atriis illam ipsam felicissimam stipati reditus tui ovationem, dum alii osculis pulverem tuum rapiunt, alii sanguine ac spumis pinguia frena suscipiunt, alii sellarum equestrium madefacta sudoribus fulcra resupinant, alii de concavo tibi cassidis exituro flexilium laminarum vincula diffibulant, alii explicandis ocrearum nexibus implicantur, alii hebetatorum caede gladiorum latera dentata pernumerant, alii caesim atque punctim foraminatos circulos loricarum digitis livescentibus metiuntur. Hic licet multi complexibus tuorum tripudiantes adhaerescerent, in te maximus tamen laetitiae popularis impetus congerebatur; tandemque in turbam inermem quidem veneras, sed de qua te nec armatus evolveres, ferebasque nimirum eleganter ineptias gratulantum; et dum irruentum tumultuoso diriperis amplexu, eo condicionis accesseras piissimus publici amoris interpres, ut necesse esset illi uberiorem referre te gratiam, qui tibi liberiorem fecisset iniuriam. Taceo deinceps collegisse te privatis viribus publici exercitus speciem, parvis extrinsecus maiorum opibus adiutum, et inferiores hostium ante discursus castigatis coercuisse populatibus. Taceo te aliquot superventibus cuneos mactasse turmales e numero tuorum vix binis ternisve post proelium desideratis, et tantum calamitatis adversae partis inopinatis certaminibus inflictum, ut occulere caesorum numerositatem consilio deformiore meditarentur. Siquidem quos humari nox succincta prohibuerat decervicatis liquere cadaveribus, tamquam minoris indicii foret quam villis agnosci crinitum dimisisse truncatum.

189. Dativus *agmini* quid hic agat cum non intellegam, nescio an *agminis* scribendum sit. Aliter ep. I 2 (176) illud dictum est: *namque hunc illi crebro colorem non ira, sed verecundia facit.*

190. Quae hoc excipiunt Elmenhorstius nescio quam ob rem in deterius mutata sic edidit: *fuga, non ignavia fecerat.*

191. Idem solus, quod sciam, nec melius paulo post *interfectis* pro *desideratis* scripsit; id vero ex quattuor libris adnotat Wouwerius. Aliquanto post in eadem epistula *desideratis* repetitur: *e numero tuorum vix binis ternisve post proelium desideratis.*

192. *Quam patentissima,* quod in omnibus editionibus vidi, dubito an non scripserit Sidonius, sed potius *qua patentissima* omisso *est,* quod in V codice, cuius haec ipsa est lectio, explicandi causa additum est. In A scriptum est $\overset{\bar{a}}{q}$, in quo ego adnotavi lineolam additam videri, Mauius non item. In H *quā, quam* etiam in R Z U X Y scriptum est. Paulo ante dicitur Ecdicius hostes *non minus die quam campo medio* transisse. Idem, ni fallor, ex V codicis lectione efficitur; quae quidem a librariis facile corrumpi potuit. Et corruptum esse in quibusdam codicibus hunc locum ex eo intellegitur, quod Wouwerius in duobus libris *latissime* esse adnotat. Hoc ipsum ab Elmenhorstio receptum est.

193. *Processerit obviam* A habet, quem verborum ordinem quodam modo quaesitum Sidonio magis placuisse putaverim.

194. *Victoriosissimam* nescio unde sumptum Wouwerius et Elmenhorstius lectioni codicum A H R Z V X Y *felicissimam* sine causa praetulerunt.

195. *Sanguine ac spumis* certe habent A H V F; *et,* non *ac* Baretus scripsit; *sanguinem cruores spumisque* glossemate, ut videtur, interiecto librari culpa corruptum Wouwerius edidit.

196. *Frena,* quod in omnibus codicibus esse dicit Chatelainius et ego ex A H R Z V F X Y habeo adnotatum, is vir doctus restituendum esse monuit. *Lupata* Wouwerius Sirmondus Mignius Baretus receperunt. Hoc si quo in codice repertum est, iterum, ni fallor, librarius, ut in *cruores* illo, de quo modo dixi, rarius verbum ostentavit.

197. *Flexibilium* in A est, quae forma plenior a Sidonio fortasse scripta, a librariis amputata est. Quamquam contrarium videtur admissum esse mendum ep. IV 20 (277) *securibusque missilibus;* ita enim ex A H V ego, sicut Elmenhorstius editorum quos cognovi solus, scripserim, ceteri *missibilibus* ponunt.

198. *Nimirum* verbo, quod in proxima sententia positum est, nemo negabit Sidonium saepissime usum esse; hoc loco num poni oportuerit equidem dubito. Neque enim sic aptum est *que* verbo *ferebas* adiunctum. Sed in A repperi *nimium*, quod si Wouwerium secuti scripserimus, omni illa difficultate sublata comitas facilitasque ovantis circuitione quadam laudatur.

199. Pro *inferiores* Elmenhorstius nescio quod novum effecit verbum *efferoces*. Concedendum est obscure Sidonium dixisse antea incursiones hostium non metuendas fuisse, cum dicendae essent iam graviores esse factae, quamquam antea graves habitae non essent. Ego hoc coniecerim: *et inferiorem hostium antepollentes discursus castigatis coercuisse populatibus.* Displicuit fortasse librariis rarum verbum, praesertim cum id ad *discursus* relatum viderent. Sed hoc ipsum prorsus Sidonianum est et verbo *antepollere* Apuleium usum esse constat Met. I 5 (104) *quae civitas cunctae Thessaliae antepollet* et VII 5 (189) *nam praeter ceteram corporis molem toto vertice cunctos antepollebat;* ita saepius dicitur *praepollens*. Mendi quae fuerit causa apparet, nec difficilis est corruptelae explicatio.

200. In sequentibus etiamsi retinetur *superventibus*, scribendum non erit ex coniectura Mohrii *parti;* nam quamquam id, quod ex codicibus nunc editur, perplexe dicitur, fieri tamen potuit ut id Sidonius ita intellegi vellet: adversariis inopinato proelio certantibus.

Sed in A scriptum repperi *supervenientibus*, id a Wouwerio servatum est. Quod si verum est, longe alia evadit sententia: impetu a multitudine hostium facto turmas equitum hostilium ad pugnam paratas occisas esse, ut etiam ex inopinato aggressi calamitate afficerentur. Utra lectio

melior sit alii decernant; mihi haec magis placet quam illa. Id unum obstat quod in altera lectione facilius explicatur distributiva forma verborum *binis ternisve* et *proelio* in singulari numero positum, nisi forte aut *proelia* scribendum esse concesseris, sicut — quamquam non prorsus idem est — plura *certamina* scriptor commemorat, aut hoc ipso verbo plures unius proelii concursus satis aperte significari existimes.

201. *Deformosiore*, quod nusquam repertum est, miror a Wouwerio esse receptum, praesertim cum in libro Danielis *deformiore* reppererit.

202. Sequentem sententiam recte explicat his verbis Wouwerius: nox brevior impedierat Gottos sepelire cadavera, itaque ne dies indicium faceret cuius partis aut quot essent qui ceciderant, capita absciderunt, quippe Gotti erant criniti. Addit corruptum esse locum, Opt. C. habere *quam nullus miles* — in H vidi *quā* verbi ultimam et duas primas verbi *villis* litteras in rasura esse scriptas —, legendum esse: *quem nobis agnosci, crinitum, dimisisse truncatum.* Verum iniuria eum offendit verborum, ut videtur, collocatio. Id dicit Sidonius cladis indicium fuisse multam atque apertam hostium stragem, non minus certum indicium fuisse multitudinem hostium truncatorum in campo relictam, quam primo diluculo omnes conspecturi essent. In A adnotavi prius scriptum esse *dimisse*, deinde *si* additum esse.

Ep. III 5 (254). *Eborolacensis praedii etiam ante barbaros desolatam medietatem, quae domus patriciae iura modo respicit, suffragio vestro iuri suo optat adiungi.*

203. *Ante barbaros* in A prima manu mutatum est in *ante a barbaris*, quod ex libro Pithoei Wouwerius adfert. Defendi fortasse poterit haec lectio, meliorem eam esse nemo contendet.

204. Malim *ruri* ex sequentibus: *ut ad soliditatem ruris istius te patrocinante perveniat* scribi quam *iuri*. Neque enim hoc modo poni videtur *iuris* verbum, et diversa haec sunt; *ad ius nostrum pertinet, iuri meo subiec-*

tus, in iure alieno positus, legare domum cum iure suo omni, ius fundi emitur, in ius alterius succedere, fisci iuribus inferre, quae quidem omnia ex libris qui sunt de iure adferuntur.

Ep. III 6 (249). *Ita namque fascibus vestris gratamur omnes, ut erectam per illos non magis vestram domum, quam nostram amicitiam censeamus. Testis est ille tractatus, in quo exhortationis meae non minimum incitamenta valuerunt; quibus vix potuistis adduci, ut praefecturam philosophiae iungeretis, cum vos consectanei vestri Plotini dogmatibus inhaerentes ad profundum intempestivae quietis otium Platonicorum palaestra rapuisset. Cuius disciplinae tunc fore astruxi liberam professionem, cum nil familiae debuisses. Porro autem desidiae vicinior putabatur contemptus ille militiae, ad quam iactitant lividi bonarum partium viros non posse potius quam nolle conscendere.*

205. Complura exscribere opus erat quamquam de una litterula agetur. In A enim et U et ZXY scriptum est (in H prima manu additum) *debuisset*, *debuisses* in HRVP Paris. 2782. Illud Wouwerius Savaro Sirmondus Mignius Baretus scribunt, hoc Elmenhorstius habet, Savaro in adnotatione explicat. Utrumque defendi fortasse poterit, *debuisses* multo aptius ad *familiae* refertur, ut id, quod ante dictum est, *erectam per illos vestram domum* Sidonii more repetatur. Tertia persona a librariis propter vicinum *rapuisset* posita est. Singulari autem numero paulo post utitur Sidonius: *celsitudinis tuae*, deinde rursus plurali: *vestrum est, domine maior*. Gallicos interpretes scripto *debuisset* miror verba Sidonii hoc modo vertisse: j'ai toujours soutenu que cette manière de vivre ne serait excusable que lorsqu'on ne devrait plus rien à sa famille; Bareti adnotationem multo etiam magis miror, in qua haec sunt: "*debuisses*, quae forma, etsi obvia magis, non ideo Sidonii stylo accomodatior."

Ep. III 6 (249). *Certe creber provincialium sermo est annum bonum de magnis non tam fructibus quam potestatibus aestimandum.*

206. *Existimandum* in A H R Z V U X Y est; *aestimandum*, quod vulgare est, editoribus placuit. Savaro tamen Elmenhorstiusque *existimandum* scribunt, sed ille, ut solet, alteram lectionem in adnotatione explicat; Wouwerius cum in sex libris *non de bonis frugibus, sed de magnis potestatibus esse existimandum* invenisset, vix necessaria facta coniectura ita scribendum dixit: *non de magnis fructibus, sed de bonis potestatibus esse aestimandum.* Sed *existimandi* verbo etiam Cicero ita fere usus est, ut id hoc loco Sidonius ponere potuisse putandus sit. Cfr leg. agr. II 15, 40 *an si condemnare Asiam nolet, terrorem damnationis et minas non quanti volet existimabit* et Mur. 16, 34 *cuius expulsi et eiecti vita tanti existimata est.* Id tamen mihi dubitandum videtur, num *de* praepositioni hic locus sit, cum potius *ex* exspectetur.

Ep. III 7 (255). *Ecquid, numquamne respectu movebere familiaritatis antiquae, ut tandem a continuati silentii proposito pedem referas? Aut nescis quia garrulo non respondere convicium est? Tu retices vel bibliothecarum medius vel togarum et a me officium paupertini sermonis expectas, cui scribendi, si bene perspicis, magis est facilitas quam facultas. Certe vel metus noster materiam stilo tuo faciat.*

207. Pro *ecquid* in archetypo videtur scriptum fuisse *hecquid;* hoc in A et V et sine dubio in H quoque, quamquam erasa nunc est littera *h*, scriptum est; in V codicis margine additur *vel ecquid;* idem in H prima manu superscriptum inveni. Wouwerius *quid* temere scripsit.

208. *Continuati*, quod in A H R X Y et erasis aliis fortasse litteris in V scriptum est, retinendum censeo. In V codicis margine scriptum est *vel continuandi* et sub illis *melius*, prorsus idem in H codice inter versus prima manu additum est, in F uno tenore *vel continuandi melius*

scriptum est, in Z et in editione Elmenhorstii *continuandi* inter verba scriptoris relatum est. Sed nihil mutandum. Sidonius ut quae paulo ante dixisset *longum a litteris temperatis* et *vos tacetis* suo more repeteret, *a continuati silentii proposito* cum scripsisset, ita intellegi voluit: *a silentio continuato, quod tibi propositum fuit.* Gallici interpretes sic vertunt: ne te détermineras-tu jamais à rompre ce silence obstiné?

209. *Aut* omnes habent, *an* certe melius est.

210. *Quod* pro *quia* Wouwerius solus, quod sciam, scripsit. Similis est locus ep. III 13 (247) *taceo quia decidit honor humeris, decor brachiis, robur lacertis,* ubi *quia* A H V habent, *quod* Wouwerius Sirmondus Mignius Baretus.

211. *Cui,* quod in A est, malim quam *cuius,* quod in H R Z V X Y vix recte scriptum Savaro et Elmenhorstius receperunt.

212. *Stilo* (non *stylo*) *tuo* ex A H V scripsi, inverso ordine Wouwerius Sirmondus Mignius Baretus ponunt.

Ep. III 7 (255). *Nihil affectatum simulatumque, ponderique sermonum vera potius severitas quam severitatis imitatio; et nec ut plurimi, qui cum credita diffidenter allegant, volunt videri egisse se cautius; sed neque ex illorum, ut ferunt, numero, qui secreta dirigentium principum venditantes ambiunt a barbaris bene agi cum legato potius quam cum legatione.*

213. *Nec* non dubitavi scribere ex A H V, *non* Elmenhorstius Sirmondus Baretus. Illius usus aut certe simillimi ex meliore etiam scriptore adfertur exemplum Sen. dial. VII de vit. beat. 17, 3: *non sum sapiens et, ut malivolentiam tuam pascam, nec ero.* Cfr quae de hac re optime dixit O. Ribbeckius (Beiträge zur Lehre von der lateinischen Partikeln, Lipsiae 1869, pag. 24 seq.). Huc accedit quod hoc de quo sermo est loco *nec* fortasse ad *neque,* quod paulo post sequitur, referri potest.

214. *Illo ut,* non *illorum ut,* in H R V U X, in A

illorum omisso *ut* scriptum est. *Illo* certe a Sidonio scribi potuit. Mihi haec mea arridet coniectura: *sed neque ex illo eum ferunt numero*, ut audiatur *esse*. Quod non videntes librarii aut pluralem pronominis numerum desiderantes ex *illo eū* aut *illo ū*, id est *illo ut*, aut *illorū* effecerunt.

215. In sequentibus alterum *cum* omittit V, omissum A codicis scriptor addidit. Talia quamvis saepe fiant in A codice atque in H et V, non commemoravi, ac ne hoc quidem loco dixerim utrum repetiverit praepositionem necne ipse Sidonius.

Ep. III 8 (256). *De te mihi ad te sermo est, vir efficacissime, cui debet respublica, quod supradictis solutum laudat historia.*

216. Pro *quod* Wouwerius non male *quicquid* scripsit. Quod tamen, nisi codicum confirmatum erit testimoniis, recipere nolim.

217. Quae post haec adduntur in editionibus Wouwerii et Elmenhorstii, ille in Opt. C. suo repperit, Savaro in praefatione dicit in manuscripto Nanzii esse, in ceteris omnibus quotquot legerit libris manuscriptis non esse. Quae quamquam ipse in nullo codice vidi, tamen non ideo reicio. Nonnulla tamen in iis displicent, nec desunt quae nisi emendata intellegi omnino non possint. Sunt autem haec: *Filios de proditione meditantes Iunius Brutus occidit, sed fuit parricidii pretium consulatus. Manilius* (scribendum *Manlius*) *Torquatus filium quod hostem provocantem non se permittente provocasset* (*superasset* Elmenhorstius reposuit, *prostravisset* vel *prostrasset* ego conieci) *securi lictoris addixit, sed pompam triumphi pro mercede crudelitatis populariter impetravit. Tibi vero nunc a barbaris odiosi faceret Romani nominis amor, postquam filius sublatus est colludio factiosorum, maluisti magis te civem meminisse quam patrem* (mihi nulla alia occurrit emendandi via nisi haec: *tibi vero nunc odio etsi fieret* — vel *etiamsi aceret* — *Romani nominis amor, postquam a*

barbaris filius sublatus est colludio factiosorum, maluisti et q. s., nisi potius putandum est nonnulla in primo enuntiato intercidisse), *nec tibi obfuit quin esses liber statu* (Wouwerius *statum* habet), *quod eras captus affectu, contra gentem vicinam validam iratam* (hoc cum sequentibus coniungendum videtur). *Cum Ecdicio* (Savaro *Hecditio* habet) *meo non audacter* (*minus quam feliciter* addit Elmenhorstius, *non* ego delendum censeo) *arma movisti; nec veritus es, ne filius tuus iam prope iuvenis, adhuc prope unicus, propter victi fusique hostis si non iram, saltem verecundiam periclitaretur.*

Ep. III 12 (240). *Dum dubitant in crimine reperti dilaberentur an starent, et superveni. Confiteor errorem, supplicia captorum differre non potui; sed supra senis nostri ipsum opertorium torsi latrones, quantum sufficere posset superstitum curae, mortuorum securitati.*

218. *Et*, quod est in AHRZ (*dilaberentur et staret et superveni*) VXY, scribunt Savaro Elmenhorstiusque, omittunt, sicut factum est in U codice, ceteri editores. In V codicis margine additur *vel ecce*, quod nescio an reponendum sit. Cfr quae pag. 28 dixi de ep. I 8 *ista haec*.

219. *Ipsum* ante *senis* collocatur in Wouwerii Sirmondi Mignii Bareti editionibus; ego quamquam non nego hunc ordinem habere quo commendetur, AHV sequi malui.

220. *Posset* ex AHV scripsi, sicut Wouverius (*possent*) Savaro Elmenhorstius: ceteri *possit* habent, quod in V prius scriptum fuit.

Ep. III 12 (241). *Sed vide ut vitium non faciat in marmore lapidicida; quod factum sive ab industria, seu per incuriam mihi magis quam quadratario lividus lector ascribet. Ego vero, si pio studio rogata curaveris, sic agam gratias, quasi nil tibi quoque laudis aut gloriae accedat, quem patruo tuo, id est me, remoto solida praesentis officii sollicitudo mansisset pro gradu seminis.*

221. *Lapicida* Baretus solus scripsit; ceteri editores et A H V *lapidicida* habent.

222. *Seu* A codicis scriptor mira diligentia ex *sive*, quod ante erat scriptum, correxit; Sidonius non semel haec verba variat.

223. *Magis mihi* A solus, quod sciam, habet.

224. *Ascribet* ex A (ubi tamen aliud *s* superscriptum est) H V scripsi, coniunctivum praesentis ponunt Sirmondus Mignius Baretus.

225. *Id est me* nescio an melius omittatur; neque in eo consentiunt codices, nam in A H Z V X Y *vel me* scribitur, in R *id est me* idemque in H additur. Simile fere est quod paulo post in carminis versu 2 verbo *dicavi* et in H et in V superscriptum inveni: *id est ego Sidonius*. De eiusdem generis additamento confidentius post loquar, cum de ep. IV 21 (*unius oris*) mentio erit facta.

Ep. III 13 (245). *Sed dicis, animi probra vultu colorat, et deprecatur ineptias mentis qualitas corporis. Elegans videlicet homo pervenustusque cuiusque sit spectabilis persona visentibus. Enimvero illa sordidior est atque deformior cadavere rogali, quod facibus admotis semicombustum moxque sidente strue torrium devolutum reddere pyrae iam fastidiosus pollinctor exhorret. Praeter haec lumina gerit idem lumine carentia, quae Stygiae vice paludis volvunt lacrimas per tenebras. Gerit et aures immanitate barfinas, quarum fistulam biforem pellis ulcerosa circumvenit saxeis nodis et tofosis humore verrucis per marginem curvum protuberantibus.*

226. *Colorat*, quod omnes quos cognovi editores habent, scriptum est in H R Z U X Y, *decolorat* in V, sed *de* delendum esse significatur, *decorat* in A; Wouwerius nihil adnotat. Lectio A codicis videtur defendenda esse, comparatis praesertim talibus locis, qualis est Cic. Tusc. V 41, 119 *omneque, quod honestum nos et laudabile esse dicimus, id illi cassum quiddam et inani vocis sono decoratum esse dicant.* Neque simulandi notio, quae in *colo-*

rat illo inest, apte cohaeret cum sequenti verbo *deprecatur*. Potuit sane ex *colorat* propter vicinum *deprecatur* fieri *decolorat*, ex illo *decorat*; sed non minus verisimile est in archetypo fuisse *decorat*, id in A servatum, in ceteris primum in *decolorat*, quod verbum librariis vel ex ep. II 10 (236) *decolorabuntur* notum erat, corruptum esse (sicut ep. III 8 (256) *quandoquidem facile clarescit rem publicam morari beneficia, vos mereri* in A H V scriptum est *moderari*), deinde ex *decolorat*, quod in vetusto codice V mansit, facillima emendatione factum esse *colorat*, de quo cfr Val. Max. VIII 2, 2 *quam legati genus esse voluit libidinosam liberalitatem debiti nomine colorando.*

227. *Cuiusque* ex A H R Z V X Y scripsi, *cuius* Wouwerius et Baretus.

228. *Est* eo loco, quo ego posui, habent A H V; post *deformior* ponunt Wouwerius Sirmondus Mignius Baretus.

229. *Pollinctor* A habet, *pollintor* H et V; quare *n* litteram retinui.

230. *Curvum* editiones quas vidi omnes habent. Id in H codicis margine repperi (in contextu verborum totidem fere litterae erasae sunt), idem ex recentioribus libris Z X Y Paris. 2782 et 9551 adfertur. Sed in A et U scriptum est *coriū*, *corium* in R; id in N P Paris. 2783 et 3477 esse dicit Baretus, in Paris. 2170 autem *currum*, in Vineti editione *crurum*, quod ex duobus libris adnotat Wouwerius; in V scriptum est *coruū*. Savaro in Fauchetii libro dicit esse *corium & curuum*, quod maxime convenire videtur in H codicem. *Curvum* igitur librarii coniectura natum videtur; mihi quidem displicet, cum scriptor convicio vix abstinuisse, nedum *earum*, quod coniecit Wouwerius, scripsisse videatur. Ex *coriū*, quod in archetypo fuisse puto, aeque facile atque aliae lectiones, quas commemoravi, efficitur *corii*, id est *corii aurium* vel *pellis*, quam antea appellaverat. Si quis adiectivum desiderabit, V codicem secutus *corneum* reponat, quod in eadem epistula de cruribus dicitur. Cfr ep. IV 1 (268) *bestialium rigidarumque nationum corda cornea.* Neque enim adiectivo *coreus* uti ausim, quod in glossis Placidi (*bulga: saccus coreus*) invenitur, cfr An-

thol. lat. ed. Ries. 19 pag. 69 (I Lips. 1869). In re non prorsus certa duos libebat adferre emendandi conatus.

Ep. III 13 (247). *Taceo quia decidit honor humeris, decor brachiis, robur lacertis. Taceo chiragricas manus unctis cataplasmatum pannis tamquam caestibus involutas. Taceo quod alarum specubus hircosis atque acescentibus latera captiva vallatus nares circumsedentium ventilata duplicis Ampsancti peste funestat.*

231. De *quia* vide pag. 62, ubi de ep. III 7 *aut nescis quia* dictum est.

232. *Captiva* in *caprina* mutare voluit Wouwerius; qua coniectura cave ne in errorem inducaris, praesertim cum hic locus nonnihil habeat difficultatis. Ac Savaro quidem nihil de illo verbo adnotat; gallici interpretes sic vertunt: je ne dis rien des antres hérissés de poils et infects qui emprissonnent ses flancs de leurs remparts. Quod num ita recte fecerint equidem dubitans potius conferendum puto locum Apulei Met. I 6 (104) *uxor persolutis feralibus officiis luctu et moerore diuturno deformata diffletis paene ad extremam captivitatem oculis suis* et Anthol. lat. ed. Ries. 736, 3 *mensis quisque duos captivos possidet horum* (dierum). Nam posterioribus certe aetatibus hoc verbum in sermonem italicum receptum (*cattivo*, cfr gallicam vocem *chétif)* idem significat ac malus, corruptus, miser.

233. *Circumsedentium* in H est et fuit fortasse in A, ubi littera post *t* erasa est; *circumsedentum* V habet.

Ep. III 13 (247). *Iam quid hic tergum spinamque commemorem, de cuius licet internodiorum fomitibus erumpens arcam pectoris texat curvatura costarum, tota nihilominus haec ossium ramosa compago sub uno velut exundantis abdominis pelago latet. Taceo lumborum corpulentiam cluniumque, cui crassitudini comparata censetur alvus exilis. Taceo femur aridum ac pandum, genua vasta, po-*

plites delicatos, crura cornea, vitreos talos, parvos digitos, pedes grandes.

234. *Arcam* ex A codice sine dubio scribeudum est; id ex manuscripto Achillis Statii adfert Savaro, ex duobus libris Wouwerius, neque tamen quisquam veram lectionem alteri *aream* praetulit, quam ex H R Z V U X Y adnotavi. Haec vel ideo displicet, quod non *texitur area,* neque recte Savaro ep. I 2 (176) *aream dorsi humilior inter excrementa costarum spina discriminat* comparat. Immo ex hoc loco, ubi cum alia multa eiusdem generis commemorantur tum prorsus eadem, ut *costae* et *spina,* simillimum verbum supponere librarios non fugit. Gallici interpretes male sic vertunt: et que dire de son dos, de son épine vertébrale? Quoiqu'elle jette des côtes pour couvrir sa poitrine, cette charpente osseuse néanmoins est comme inondée par le débordement de l'abdomen. De *arca pectoris* cfr Venant. Fort. (ed. Leon. Berol. 1881) carm. IV 11, 4 *cuius semper habet pectoris arca deum* et VII 8, 36 *pectoris arca* (in duobus codicibus est *arcta*) atque vit. Mart. praef. v. 33 *Martinum ad sidera notum, cum sint vota mihi, non valet arca loqui.* Eodem modo *cratem pectoris* saepissime dicunt scriptores latini et antiqui, ut Vergilius (Aen. XII 508), et recentissimi, ut Gregor. Tur. hist. Franc. X 14 extr. *confractis ossibus et crate pectoris.*

235. *Ossuum,* quod in V repperi, ex Bongarsii libro Colvius attulit — in H verbo *ossium* recenti, ni fallor, manu superscriptum est *y* —, vix admittendum videtur.

236. *Lumborum* et *corpulentiam* in A solo transponuntur.

237. *Ac* scripsi ex AHV; *et* editores habent.

Ep. IV 4 (265). *Saepe cum hoc seria, saepe etiam ioca miscui. Cumque abhinc retro iuvenes eramus, in pila in tesseris, saltibus cursu, venatu natatu sancta semper ambobus, quia manente caritate, contentio. Mihi quidem maior hic natu, tantum tamen ut eum non tam honorari necesse esset, quam delectaret imitari. Simul et*

ipse hinc amplius capiebatur, quod se diligi magis quam quasi coli intelligebat Sed provectu aetatis ex militia clericali, cum esset amabilis prius, coepit modo esse venerabilis.

238. *Venatu*, quo omisso verborum peribit concinnitas, in A et X est, item in editionibus, non est in R V U, in H additur, in Z post *natatu* scriptum ante ponendum esse significatur.

239. *Honorari*, quod in H R Z V U est, hoc loco vix aptum est; et in V omittitur, in A scriptum est *venerari*, quod in libro Danielis esse Wouwerius adnotat, Elmenhorstius solus scribendum esse constituit. Hoc etiam deponenti verbo *imitari* melius convenit, nisi forte *honorari* activa significatione posuit Sidonius, ut Solinus II 26 (ed. Momms. pag. 42) *honorata* (mysterium) et Ampelius 2, 5 *est honorata* (leonem). Librariis displicuit *venerari*, quia paulo post sequitur *venerabilis*; hoc cum mutare minus commode possent, illud corrumpere malebant.

Praeterea me fateor nescire, quid agat *mihi* in initio sententiae positum, praesertim cum *maior* verbo addatur *natu*. Neque enim crediderim latine sic dici ut gallica lingua: Faustinus était mon aîné, neque rectius *mihi* cum *capiebatur* coniungitur. Quod si verum est, haec fortasse probabitur sententiarum divisio: *sancta semper ambobus quia manente caritate contentio, mihi quidem* (simul auditur: *contentio erat, sed); maior hic natu — tantum tamen ut eum non tam venerari necesse esset, quam delectaret imitari — simul et ipse hinc amplius capiebatur* (id est: ad *contentionem* adducebatur), *quod se diligi magis quam quasi coli intelligebat.*

Ep. IV 5 (277). *Nam cum te non deceat falsa mandare atque item desint votiva memoratui, fugio quicquid illud mali est per bonorum indicia cognoscere.*

240. Ex A codice difficiliorem librariis lectionem *memoratui*, quod in Danielis quoque libro esse Wouwerius dicit, ego pro *memoratu* reposui, quod H (in fine paginae) R Z V U X habent editoresque quos cognovi omnes. *Voti-*

vus iam Apuleius pro *gratus* saepius dicit, de qua re cfr edit. Hildebrand. I pag. 1008.

241. *Illud* in A omittitur, nec male, sed eius tamen codicis solius praesertim auctoritas tantum apud me non valet, ut *illud* a Sidonio negem scriptum esse.

Ep. IV 7 (286). *Et cum apud crudos ceparumque crapulis esculentos hic agat vulgus, illic ea comitate retractabitur, ac si inter Apicios epulones et Byzantinos chironomuntas hucusque ructaverit. Attamen, qualis ipse quantusque est, percopiose me officii votivi compotem fecit. Sed quamquam huiuscemodi saepe personae despicabiles sunt ferme, in sodalibus tamen per litteras excolendis dispendii multum caritas sustinet, si ab usu frequentioris alloquii portitorum vilitate revocetur.*

242. *Retractabitur* ex A H V non veritus sum scribere, cum de mutatis — hoc enim *re* syllaba adiecta exprimi videtur — vulgi moribus scriptor potius quam librarius cogitasse videatur; *tractabitur* Wouwerius Sirmondus Mignius Baretus receperunt.

243. *Chironomuntas* non dubito quin Sidonius scripserit, sicut Iuvenalis sat. I 5, 121 *chironomunta;* in A H V atque in Savaronis et Sirmondi Migniique editionibus *chironomontas*, a Wouwerio Elmenhorstio Bareto *chironomantas* scriptum repperi.

244. *Despicabiles sunt ferme* in A H V X inveni, ex Z *despicabiles s̄t ferine* Mauius adnotavit; sed in V *ferme* prima manu ex *forme*, nisi fallor, correctum est, in H autem huic, ut videtur, mendo alia medela quaesita singulis verbis superscripta sunt *vel lis* et *vel forme*. Ex quo quod efficitur *despicabilis sunt formae* in R scriptum receperunt Wouwerius — inverso tamen ille ordine *despicabilis formae sunt* — Sirmondus Baretus. Gallici interpretes quamquam veram lectionem ediderunt, falsam, ut solent, in vertendo expresserunt: cependant, quoique les gens de cette espèce aient souvent un extérieur méprisable. Nulla hoc loco oris corporisve mentio facta est aut apte fiet, praesertim cum

paulo post commemoretur *vilitas*. Ex libro Danielis Wouwerius hoc adnotat: *despicabilus formé sunt*, idque fere repetit in adnotatione sua Elmenhorstius, bibliopola tamen illius editionis in paenultima pagina in *ferme sunt* correxit.

Ep. IV 8 (269). *Tum longinquitas viae per virens aequor campi patentis exposita visentibus, quippe ob hoc ipsum sero pransuris, ingemebatur. Nam viaturos etsi nondum terebat labore, iam tamen expectatione terrebat. Quae cuncta praemissa, domine frater, huc tendunt, ut tibi probem neque animo me vacasse multum neque corpore neque tempore quo postulatis obtemperavi. — Ilicet ut ad epistulae vestrae tenorem iam revertamur, post verba, quae primum salve ferebat, hoc poposcisti, ut epigramma transmitterem duodecim versibus terminatum, quod posset aptari conchae capaci, quae per ansarum latus utrumque in extremum gyri a rota fundi senis cavatur striaturis.*

245. In secunda sententia nihil scriptores codicum AHV turbaverunt, nisi quod in A *labore terebat* scriptum est et in *terrebat* alterum *r* prima, ni fallor, manu additum. Wouwerius sic scripsit: *et si nondum terebat labor iam, tamen expectatio terrebat*, lectiones etiam magis corruptas in codicibus inventas in adnotatione adfert.

246. *Me vacasse* ex A et H adnotatum scripsi, *vacasse me* editores.

247. *Poposcisti* ex A H R Z V scripsi, *poposcistis*, quod in X est et in editione principe, Savaro Elmenhorstiusque sine causa receperunt.

248. *Posset* ex A et V adnotavi, in hoc tamen codice ex *possit* correctum. Hoc Sirmondus Mignius Baretus scribunt.

249. *Striaturis* sine dubio scribendum est, non *bis striaturis*, quod Baretus ex recentioris codicis Paris. 2783 lectione *bistriaturis* male coniecit. Nata haec est ex plurimorum codicum A H R Z V P Paris. 2782, 9551, 3477 lectione *histriaturis*, quae ex vitiosa sive dictantis sive scribentis pronuntiatione orta est. Cfr *iscientia ismaragdus*

istillicidium alia quae congessit Roenschius (Itala und Vulgata, Marburg. 1875, pag. 467).

Ep. IV 8 carm. v. 5 seq. (270).

Euodiumque libens non aspernare clientem,
quem faciens magnum tu quoque maior eris.
Sic tibi, cui rex est genitor socer atque maritus,
natus rex quoque sit cum patre postque patrem.

250. *Magnum* non dubitavi scribere ex A, idem ex libro Danielis a Wouwerio allatum receperunt Savaro Elmenhorstiusque; *grandem* H R Z V X et editiones ceterorum habent. In verbis ita oppositis, ut hoc loco *magnum* et *maior*, Sidonius consonantiam vocum tantum abest ut oblatam reiciat, ut etiam ultro arcessitam et molestia quadam quaesitam probare videatur. Neque rarus est in scriptis eius verbi *grandis* usus, ut hanc lectionem librariis difficiliorem non recte putes. Displicuit librariis *magnum* propter *magna patrona*, quod est in versu 4.

251. *Gnatus* fortasse scribendum est ex A H V, quod fecerunt Savaro Elmenhorstiusque.

Ep. IV 9 (296). *Interveni proxime Vectio illustri viro et actiones eius cotidianas penitissime et veluti ex otio inspexi.*

252. *Vectio* in H R Z V U X scriptum editores habent; *Vectioni* ego in A repperi, ex libris Claromontensi et Pithoei Savaro attulit. Idem in epistulae 13 huius libri inscriptione is dicit esse in Basiliensi libro, ego ex A adnotavi, sed additum est *ni* alio atramento scriptum, in margine quoque *Vectio* est — X hoc loco *vetito* habet —. Dubiam rem commemorare satis habui.

Ep. IV 9 (297). *Erga familiam suam nec in proferendo alloquio minax, nec in admittendo consilio spernax,*

nec in reatu investigando persequax. Subiectorum statum condicionemque non dominio, sed iudicio regit: putes eum propriam domum non possidere, sed potius administrare.

253. *Propriam domum non possidere, sed potius administrare* (vel *amministrare*) in A H R Z V U X scriptum est, item in Bruxellensi et Lipsiensi codicibus; in Bernensi *non* ante *propriam domum* est positum. Mohrio nescio quam ob rem haec displiceant, illud, quod in Wolfenbuttelano codice invenit, solum verum videatur: *propria non possidere, sed administrare.* Sirmondus eodem modo atque ego locum edidit; *domum propriam non possidere, sed potius administrare* plerique editores habent, Baretus *potius* omittit. Cavendum est ne consentientium optimorum codicum lectione neglecta uni cuilibet librario obsecuti aut editorum turbam veriti tum hoc tum illud Sidonio tribuamus.

Ep. IV 11 (302). *Sed quid dolorem nostrum moderaturi causis potius doloris fomenta sufficimus. Ergo, ut dicere institueramus, huic iam, ut est illud Maronianum, cineri ingrato, id est gratiam non relaturo, neniam condidimus tristem luctuosamque propemodum laboriose, quia faceret dictandi desuetudo difficultatem, nisi quod animum natura desidiosissimum dolor fletu gravidus accendit. Eius hoc carmen est.*

Germani decus et dolor Mamerti,
mirantum unica pompa episcoporum,
hoc dat cespite membra Claudianus.

254. Pro *ergo ut dicere* in A scriptum est *ergó* (in fine versus) *ne dicere,* in H R Z V U *ergo ut dicere;* hoc Sirmondus Baretusque habent, ceteri editores *igitur ut dicere.* Mihi scribendum videtur *ergone, ut dicere institueramus.* Cfr V 3 (322) *ergone, quid tempore hostilitatis ageretis, frater, nosse non merui,* ubi in V scriptum est *ergó nequid.* In ep. VI 1 (342) postquam initio sententiae *ergone* (V *ergo*) *cum sis procul dubio* positum est,

compluribus post versibus principale quod dicitur enuntiatum incipitur.

255. *Id est gratiam non relaturo* Wouwerius quod in tribus libris deesse dicit, rectene uncis incluserit mihi quidem dubitandum videtur. Sidonius fortasse ideo hoc addidit, ne verbis in peius versis mortuum vituperare videretur.

256. Multo magis mihi displicet id, quod ante carmen positum est, *eius hoc carmen est.* Quanto melius Sidonius paulo ante ep. 8 (270) verbis *ecce iam canta* carmini quasi praeludit! Simile librariorum additamentum in ep. II 8 pag. 49 deprendisse mihi videor.

257. In carminis versu 2 *pompa* scripsi. Id ex AHVU ego adnotatum habeo, ex tribus libris adfert Wouwerius, idem in omnibus se vidisse dicit Savaro. Ex RZX Mauius *gemma* adfert, id ipse Savaro recepit, quod veteris libri auctoritate nitatur, et Wouwerius. *Gemmas* quidem Sidonius homines dicit, ut ep. IX 4 (440) *sed tu flos sacerdotum, gemma pontificum*, ubi de Graeco episcopo mentio est. Sed potuit, ni fallor, hoc loco *episcoporum pompam*, id est *decus* appellare presbyterum, *triplex*, ut ait, *bibliotheca quo magistro fulsit*, eodem fere modo atque carm. 22, 41 (566) hoc dicit: *corniger inde novi fit Ganges* (ita ex A scripsi, non *Ganges fit*) *pompa triumphi*, *cernuus impexam faciem stetit ore madenti* et q. s.

258. Pro *hoc dat cespite membra*, quod explicare equidem nequeo, *condit cespite membra* coniecerim.

Ep. IV 12 (299). *Cui nos, quid ita? Et ille, lectorem, inquit, Constantem nomine pro foribus vidi; dedit quidem litteras quas acceperat, sed perdidit quas recepit.*

259. *Quidem*, quod in AHRZVPOX est, iam Chatelainius lectionibus APOR codicum allatis scribendum esse monuit. Idem ex Pithoei libro adnotat Wouwerius. Sed is *inquit* pro illo posuit, item Sirmondus Mignius Baretus. Addo in V codice litteras *it* antecedentis verbi *dedit* propter artatam in rugas membranam obscuratas esse.

Ep. IV 13 (297). **260.** De *Vectio* vide quae diximus pag. 72 de ep. IV 9 *Vectio*.

Nuper rogatu Germanici spectabilis viri Cantillensem ecclesiam inspexi. Est ipse loco sitorum facile primus quique post tergum cum iam duodecim lustra transmittat, cotidie tamen habitu cultuque conspicuo non iuvenescit solum, sed quodam modo repuerascit. Enimvero vestis astricta, tensus coturnus, crinis in rotae specimen accisus, barba intra rugarum latebras mersis ad cutem secta forpicibus; ad hoc et munere superno membrorum solida coniunctio, integer visus, amplus in celeri gressus incessu, incorruptae lactea dentium compage gingivae.

261. *Cantilensem* in A et V scriptum est, in A tamen aliud *l* post additum; in H, ni fallor, est *Cantillensem*. Recentioribus quidem temporibus *Cantilla* scriptum videtur, ex tabula Peutingeriana *Cantilia* adfertur. Quae tamen cum tertio decimo saeculo sit confecta, non maiore fide digna est quam optimi Sidonii codices. Ex quibus *Cantillae* nomen mea sententia facilius efficitur quam *Cantilia*.

262. *Loco positorum*, non *sitorum* a Sidonio dictum putaverim sicut ep. I 5 (182) *Romae positus* et similia aliis locis.

263. *In rotae specimen* num verum sit equidem dubito, quamvis ita ab omnibus edatur et in codicibus HRZVU (HZV *specim̄*) scribatur. Neque enim *specimen* hoc loco aptum puto. Et in A *specim̄* erasa ante *m* una littera scriptum est, in X *spēm*. Fuit, ni fallor, in A *speciem*, quod melius est.

264. *Forpicibus* ex A et H scripsi, non *forcipibus*, quod est in V. Cfr quae pag. 4 de ep. I 2 *forpicibus* dicta sunt.

Ep. IV 15 (294). *Epulum multiplex et capacissima lectisternia para. Plurimis viis, pluribus turbis — ita bonorum contubernio sedit — ad te venitur, quippe simul omnibus tempus futurae dedicationis inclaruit. Nam baptisterium, quod olim fabricabamini, scribitis posse*

iam consecrari. Ad quae festa vos voti, nos ministerii, officii multos, fidei totos causa sollicitat.

265. Verba *ita bonorum contubernio sedit* auctoritate codicum A H R Z V U X impulsus suo loco posui, item fecerunt Savaro Elmenhorstiusque, quamquam hic sententias male dividit. Chatelainius quoque veram de hoc loco protulit sententiam. Ceteri illa verba post *venitur* ponunt, commodius illud quidem quam Sidonii generi scribendi accommodatius. Wouwerius tamen verum ex 2 Vict. adfert.

266. *Simul*, quod in uno A codice repperi, non veritus sum scribere; hoc enim optime toti huic loco convenit. Uno atque eodem tempore omnibus Sidonius dicit tam laetum innotuisse nuntium. *Simul* librarii alii non intellectum omiserunt, quod factum est in X codice, alii non recte interpretatum aut in *simulac*, quod ex duobus libris adfert Wouwerius, aut in *postquam*, quod est in H R Z V U, mutaverunt. Hoc editoribus placuit. Quod si retinuerimus, mirum quantum fervorem illum, quem bene depinxit scriptor, undecumque adventantium refrigeratum sentiemus.

267. *Posse iam* ex A H V scripsi, quae inverso ponunt ordine Wouwerius Sirmondus Mignius Baretus.

Ep. IV 16 (295). *Accepi per Paterninum paginam vestram, quae plus mellis an salis habeat incertum est. Ceterum eloquii copiam hanc praefert, hos olet flores, ut bene appareat non vos manifesta modo, verum furtiva quoque lectione proficere. Quamquam et hoc furtum, quod deprecaris, exemplati libelli non venia tam debeat respicere quam gloria.*

268. *Paternium* non solum in V scriptum est, sed fuit etiam in A; nam *n* recentiore, ni fallor, manu additum est. In re dubia editores tamen sequi malui quam codicum non prorsus certis testimoniis confidere.

269. *Verum furtiva quoque*, quod est in A R V U, scribendum iam Chatelainius monuit; in H Z X *verum quoque furtiva* scriptum est, idque Savaroni Elmenhorstioque placuit, nec desunt in scriptis Sidonii verbi *quoque* tali

loco positi exempla. Wouwerius *verum etiam furtiva* habet, Sirmondus Mignius Baretus *verum etiam furtiva quoque*, quod vix cuiquam probabitur.

270. *Furtum hoc* A codex habet, quem sequi nolim, quamvis paulo antea dictum sit *copiam hanc praefert.*

Ep. IV 17 (306). *Quapropter alternum salve rependens granditer laetor saltem in illustri pectore tuo vanescentium litterarum remansisse vestigia; quae si frequenti lectione continuas, experiere per dies, quanto antecellunt beluis homines, tanto anteferri rusticis institutos. De paginis sane quod spiritalibus vis ut aliquid interpres improbus garriam, iustius haec postulantur a sacerdotibus loco propinquis, aetate grandaevis, fide claris, opere vulgatis, ore promptis, memoria tenacibus, omni denique meritorum sublimium dote potioribus. Namque, ut antistitem civitatis vestrae relinquam, consummatissimum virum cunctarumque virtutum conscientia et fama iuxta beatum, multo oportunius de quibuscumque quaestionibus tibi interrogantur incliti Galliarum patres ac protomystae, nec satis positus in longinquo Lupus, nec parum in proximo Auspicius.*

271. Multa exscripsi, quamquam de parvis nunc quoque rebus agam. *Antecedunt* in A vidi, ex manuscriptis Achills Statii, Puteani, Claromontensi Savaro attulit. Melius hoc non dico esse verbo *antecellunt*, quod ex plurimis codicibus allatum ab editoribus receptum est.

272. Pro *postulantur* Wouwerius, nescio qua de causa, posuit *postulabuntur*, secuti sunt Savaro Elmenhorstius Mignius. In A *postulatur* repperi.

273. Simili modo in ea quae sequitur sententia Sirmondus Baretusque *interrogabuntur* temere scripserunt; in A H V certe praesens tempus ponitur.

274. Ex A H V *oportunius*, non *opportunius* scripsi; item *incliti*, non *inclyti* aut *incluti*.

275. *Ac*, quod est in A H V, Savaro solus scripsit, ceteri editores *et*.

Ep. IV 18 (273). *Et nunc ipse sic multis contra fidem diebus otiabundus ais tibi si quas postea luserim metro nugas mitti oportere.*

276. *Ipse*, quod est in A H V N P, scribendum est, itaque scripsit Wouwerius; huic pronomini *tu* aut postpositum, ut est in R, aut antepositum ceteri editores addunt. Similis fere locus est ep. IV 22 (307) *idque ab exemplo nunc me melius aggrederis quia et ego Plinio ut discipulus assurgo, et tu vetusto genere narrandi iure Cornelium antevenis*, ubi collato hoc quem modo tractavimus loco nescio an vel unius A codicis auctoritate confisi pro *ego* ponere *ipse* debeamus.

Ep. IV 18 (274). *Basilicam sancti pontificis confessorisque Martini Perpetuus episcopus, dignissimus tanto praedecessore successor, multum priore quae fuit hactenus capaciorem novavit. Magnum est, ut ferunt, opus nominandumque, quod in honorem talis viri factum talis vir fecisse debuerit. Huius me parietibus inscribere supradictus sacerdos hoc epigramma compellit, quod recensebis; ut est in his quaecumque deposcit privilegio caritatis imperiosissimus. Atque utinam molis illius pompam sive donaria nil huius obsequii turpet oblatio.*

277. *Priore*, quod est in uno A codice, me non paenitet ceterorum codicum omniumque editionum lectoni *priori* anteposuisse, quamquam ep. VI 1 (342) *nec de inferiore Ierusalem* in A H V est *inferiori*; hoc vero loco ab omnibus excepto Mignio *inferiore* editur.

278. *Epigramma compellit* ex A et V scripsi, in H est *compellit hoc* (quae verba transponenda esse binis punctis appositis significantur) *epigramma*. Savaro Elmenhorstius Mignius eodem atque ego ordine haec verba ponunt, item Wouwerius, qui tamen *compulit* scribit; *compellit epigramma* Sirmondus Baretusque edunt.

279. Pro *illius* velim ex A, quamvis solo, scribi *ipsius*. Inepte enim hoc loco *illius* et *huius* opponuntur.

Ep. IV 20 (276). *Sidonius Domnitio suo salutem. Tu, cui frequenter arma et armatum et armatos inspicere iucundum est, quam voluptatem putamus mente conciperes, si Sigismerem regium invenem ritu atque cultu gentilicio ornatum, utpote sponsum seu petitorem, praetorium soceri expetere vidisses. Illum equus quidem phaleris comptus, immo equi radiantibus gemmis onusti antecedebant vel etiam subsequebantur, cum tamen magis hoc ibi decorum inspiciebatur, quod cursoribus suis sive pedisequis, pedes et ipse, medius incessit flammeus cocco, rutilus auro, lacteus serico, tum cultui tanto coma rubore cute concolor.*

280. De *Domnitii* nomine dubitatum est, quod *Domitio* et *Donitio* scriptum inveniri adnotat Savaro, hoc Wouwerius posuit. Savaro *Domitio* sibi magis arridere dicit, quod ad illum libri secundi ep. 2 (pag. 209) et 9 (pag. 222) scriptae sint; inepte id quidem vel eam ab causam, quod hanc ipse nulla adnotata lectionum varietate *Donidio* scriptam edidit. Hoc loco in A codice *Donidio* correctum est ex *Dodinio*, ut videtur, nam id obscurata tamen syllaba *di*, ut non prorsus certa sit, in margine repperi. Sed idem nomen ep. III 5 (253) recte ab omnibus, quod sciam, scribitur *Donidius*. Et *Domitii* certum est nomen, item quod nunc quaerimus *Domnitii* haud ambiguum, cum eum ita in A H R V U, in X solo *Domitium* repppererim appellatum.

281. *Arma et armatum et armatos* non solum in A est, sed etiam in V U et, quos adfert Baretus, P Paris. 2783 et 3477. Id Wouwerius nulla varietate lectionum commemorata recepit, idem Sirmondus et Baretus scribunt, Gallici interpretes fortasse non recte sic reddunt: des armes, des *troupes* et des guerriers. Quae lectio quin ferri possit, equidem non dubito; gradatio enim haec est, cum primum *arma* commemorantur, deinde totus viri *armatus* — hunc ego interpretor *armatum*, praesertim cum regium iuvenem separatim descriptum videam — postremo *armatorum* hominum multitudo, quamquam melius fortasse fuerat *arma et armatos* scribere. In H codice repperi *arma et armatum et animatos* huicque *vel armatos* superscriptum;

idem, ut videtur, in libris Iuliani Durantii, Puteani, Pithoei, Bongarsii, vetere Iureti ("*Iur.*", fortasse Vineti) invenit Savaro; ***arma et armatum et animatos*** vera lectione abolita in R et Z scribitur idque ex Cuiacii, Petavii, Puteani ("*Pu.*", fortasse Iureti) codicibus et vetere libro (a. 1499, ni fallor, impresso) adnotat Savaro; ***arma et armatos et animatos***, quod est in X, in manuscriptis Cluniacensi, Claromontensi, Achillis Statii, Amarito esse Savaro dixit, quamquam tam confudit adnotationes suas, ut in his codicibus *arma et armatum et animatos* scriptum esse suspicari possis. Elmenhorstius Savaronem fere secutus *arma et animatos et armatos* edidit. *Animatos* ut concedam hoc loco fortes incitatos alacres significare posse, apte positum nego. Neque enim quidquam tota epistula additur, quod ad animos referri possit. Longe aliter se habent quae Savaro comparat pag. 287 et 431, sicut ipsius Sidonii locus ep. VII 6 (376) *armis potens, acer animis, alacer annis.*

282. *Iucundum* scripsi, quamquam in A H V est *iocundum.*

283. *Gentilicio* ex A H V scripsi, non *gentilitio.*

284. *Cum tamen magis hoc* ex A H V scripsi, *hoc magis* Wouwerius Sirmondus Mignius Baretus habent, *tamen* in A erasi alius fortasse verbi loco scriptum est.

285. *Decorum ibi inspiciebatur* Savaro et Elmenhorstius scribunt, id ego ex H et R adnotavi. *Inspiciebatur* etiam in A et U est, *conspiciebatur* in V et in Sirmondi Migni Bareti editionibus; illud igitur scripsi.

286. *Cursoribus* ex A H V scripsi, in H tamen secunda manu $\bar{p}$ additum est; *praecursoribus* Wouwerius Sirmondus Mignius Baretus habent. Illud Chatelainius ex A V N P O restitutum exemplis allatis defendit.

287. *Pedisequis,* ni fallor, A habet, *pedissequis* H et V.

Ep. IV 20 (277). *Penduli ex humero gladii balteis supercurrentibus strinxerant clausa bullatis latera rhenonibus. Eo quo comebantur ornatu muniebantur; lan-*

ceis uncatis securibusque *m i s s i l i b u s* *dextrae refertae, clipeis laevam partem adumbrantibus* et q. s.

288. *Superstrinxerant* omisso *currentibus* scriptum videtur in Paris. 9551. Elmenhorstius male, sicut Wouwerius quoque, divisis verbi compositi partibus aliud *super* nescio unde addens *supercurrentibus* *s u p e r s t r i n x e r a n t* scripsit. Neque ea quae hic est *supercurrendi* verbi significatio commemoratur in lexicis. *Superstringendi* verbum ex hoc ipso loco adfertur a Georgio et Klotzio, ut germanice vertendum sit: oben darüberbinden, -zusammenziehen. Qui confertur Apulei locus met. XI 14 (263) *compressis in artum feminibus et* *s u p e r s t r i c t i s* *accurate manibus, quantum nudo licebat, velamento me naturali probe muniveram*, in eo necessarium est verbum compositum; hoc, de quo nunc agitur, non item.

289. *Rhenonibus* ex A, in quo tamen *r* in rasura est, H V scripsi.

092. De *missilibus* iam dixi pag. 58 (*flexibilium*).

291. Ep. IV 21 (287). Hanc epistulam *Aspro* scriptam exhibent AHV et Savaro Elmenhorstiusque; *Apro* rectius fortasse, sicut ep. V 14 (330), ceteri editores.

Ep. IV 21 (287). *Igitur Arverni si portionem tui saltem vicissim iure sibi vindicant, patienter admitte querimoniam desiderantum; qui tibi per* *u n i u s* *o r i s* *officium non unius pectoris profudere secretum.*

292. Verbo *oris* superscriptum *mei* in H et V, in R Z P verbis Sidonii insertum est, sed neque in A neque in N aut Paris. 3477 est, facile ut concedas esse additamentum ei simillimum, quod ep. III 12 (241) *i d* *e s t* *m e* pag. 65 deprehendimus. Recte igitur Wouwerius et Baretus id omiserunt.

293. Ep. IV 22 (307) *quia et* *e g o* *Plinii* cfr quae dixi pag. 78 de ep. IV 18 (273) *ipse.*

Ep. IV 22 (309). *At si tu ipse, cui datum est saltibus gloriae proterere posse cervices vituperonum seu supercurrere, materiae istius libens provinciam sortiare* et q. s.

294. *Proterere* scribunt Wouwerius Sirmondus Baretus, improbat Savaro, quod *praeterire* in omnibus codicibus sit. Sed in V fuit sine dubio *proterere*, cuius prima syllaba per compendium scripta in p̄ *(prae)* mutata et secundum *e* in *i* correctum est, ut nunc sit *praeterire;* ex U *proterere*, ex A et R *p̄tire*, ex H et Z *p̄terire* adnotatum habeo. Qua lectione reiecta vereor ne scribendum sit *proterere*, quod et cum *saltibus* melius coniungatur et verbo *supercurrere* maiore vi opponatur. *Supercurrere* tamen hoc loco vix aptum est, cum potius *supersiliendi* notio requiratur. Fuitne in archetypo *seu supercurrere* explicandi causa *proterere* illi superscriptum?

295. Pro *istius* in A vix recte *ipsius* scriptum est.

Ep. IV 24 (292). *Adhuc rogabam, cum repente vir caritatis flere granditer coepit non moram debiti, sed periculum debitoris.*

296. *Vir totius caritatis* Sirmondus, quem Mignius et Baretus secuti sunt, addito verbo *totius* non recte scripsit. Additamentum, quod ex vetustis, ut videtur, editionibus Savaro adfert, in A H R Z V non est, neque in N aut P esse addo ex Chatelainii commentatione. Hoc loquendi genere Sidonius utitur ep. II 13 (228) *homo peritus virque amicorum* et ep. V 1 (338) *litterarum viro,* simile est ep. I 11 (202) *erat enim ipse Paeonius populi totus;* quibus collatis nescio an etiam ep. VII 14 (387) *virum omnem litterarum* ex A scribendum sit, ubi *omnium* editur.

Ep. IV 25 (272). *In quo fecit Euphronius quod conveniret non senectutis modo suae, verum etiam dignitatis longaevitati; fecit et Patiens, vir quamlibet magnis tamen par laudibus, quod satis decuit facere personam, quae caput est*

civitati nostrae per sacerdotium, provinciae vero vestrae per civitatem.

297. Patiens, quia episcopus Lugdunensis erat, ineunte epistula *pater noster in Christo* dictus est. Sidonii enim civitas et patria fuit Lugdunum eiusdemque, ut videtur, illo tempore civitatis Domnulus, ad quem haec scribit. Is certe etsi tum in monasterio Iurensi erat, quod paulo ante dictum est *nunc ergo Iurensia si te remittunt iam monasteria, in quae libenter solitus ascendere*, in provincia Lugdunensi prima habitavit sicut Sidonius, et in ea Cabillonum quoque erat oppidum, quod commemoratur in hac epistula. Et quia Lugdunum metropolis erat Lugdunensis primae, ideo provinciae caput dicitur Patiens episcopus Lugdunensis. Sed prorsus inepte Sidonius de communi omnium, de quibus mentionem fecit, provincia sic dixisset: *provinciae vestrae.* Iam vero *vestrae* in A et V omittitur, in H verbo eraso scriptum est *ūrę*, ex recentioribus libris R et Z *ūre*, ex U *vestre*, sed omisso *vero* adnotavit Mauius. Quae cum ita sint, non dubito quin *vestrae* delendum sit. Id unus editorum Wouwerius, nescio quibus causis adductus, fecit. Scriptor hoc modo fortasse potuerat verba contrarie referre: *patriae meae, provinciae nostrae*, quia Domnulus homo Afer erat.

Ep. V 1 (338). *Audio quod lectitandis epistulis meis voluptuosam patientiam impendas. Magnum hoc est et litterarum viro convenientissimum, cum studiis ipse maximis polleas, ea et in aliis etiam minima complecti.*

298. *Et* melius omittitur in A H V et in Savaronis Elmenhorstiique editionibus.

Ep. V 1 (338). *Commendo Vindicium necessarium meum, virum religiosum et leviticae dignitati quam nuper indeptus est accommodatissimum. Cui meis e pagillaribus transferre quae iusseras non vacans, per quam provinciam fuit, hic vobis aliquid neniarum munusculi vice de-*

tulit; quamquam, quae tua sanctitas, semper grandia litteras nostras praemia putes.

299. Quae litteris latius dispositis excudenda curavi, eodem modo ac supra ab omnibus, quod sciam, eduntur, excepto quod Sirmondus et Mignius *qui*, non *cui* scribunt; a gallicis autem interpretibus *cui* scribentibus sic vertuntur: n'ayant pas le loisir de te porter ce que tu m'avais demandé de mes tablettes, vu les affaires dont il était chargé, il te remettra du moins, en guise de présent, quelques bagatelles. In quibus cum alia displicent, tum id vel plurimum, quod portitor ille, ut ait Sidonius, quod multa negotia habuisset, pauca tantum, non omnia, quae exspectata essent, portare potuisse dicitur, quasi hoc difficilius fuisset quam illud, modo ipse Sidonius omnia perfecta haberet. Ex codicibus nihil aliud adfertur nisi in AHRZP Paris. 9551 et 2782 esse *provincia*, cui signum in A secunda, ni fallor, manu superscriptum corrigendi monstrat necessitatem; in H verba *perquam provincia* in rasura exarata repperi, ex Z *provinicia̅* ego adnotavi, ex U *provintia̅* Mauius. Neutra lectio explicari potest, neque facilis videtur emendatio. Mihi in mentem venit *qui meis e pugillaribus transferre quae iusseras non* *v a c a n s* *p r o q u a m* *provincia fuit*, *h i c* *v o b i s* *aliquid neniarum munusculi vice detulit.* *Transferre* ego interpretandum esse *t r a n s c r i b e r e* vel ex eo colligo, quod *meis* ante *pugillaribus* positum maiore vi effertur et pronomini *qui* quodam modo opponi videtur. Et ea significatione dicitur *transferre* ep. V 2 (329) vid. pag. 85 et IX 11 (461) *necdum ad facultatem legendi, ut suspicor, venit, cum iam diu ipse perveneris ad copiam* *t r a n s f e r e n d i.* Propinquo illi Sidonii hoc quoque munus convenisse concedendum est. Ad verba *proquam provincia fuit*, de quibus me ipsum dubitare confiteor, explicanda adscribam ex Lucretio II 1136 seq. *nec facile in venas cibus omnis diditur ei, nec satis est,* *p r o* *q u a m* *largos exaestuat aestus, unde queat tantum suboriri ac subpeditare*, III 199 *igitur parvissima corpora* *p r o* *q u a m* *et levissima sunt, ita mobilitate fruuntur*, VI 11 *et,* *p r o* *q u a m* *posset, vitam consistere tutam*, de quo vide quae Lachmannus dixit. Quibus collatis nescio an illa, quae a Sidonio scripta

conieci, ita intellegi possint, ut eadem sint ac *quanta erant negotia*. De *provincia* cfr ep. V 7 (325) *hi sunt, quos haec peculiariter provincia manet inferre calumnias, deferre personas*, ubi miror Bareto *manet* vix intellegi posse, sed in *maeret* esse mutandum videri. *Hic* autem est *hac occasione*. Explicatione facilior est correctio, cum et *cui* pro *qui* non raro scriptum inveniatur et *per* et *pro* per compendia scripta saepissime confundantur.

Ep. V 2 (329). *Huius lectionis novitate laetatus excitatusque maturitate raptim recensendam transferendamque ut videras petisti, ut petieras impetrasti sub sponsione citae redhibitionis.*

300. *Excitatusque* ex A H V scripsi, non *exercitatusque*, quod habent Sirmondus Mignius Baretus. Elmenhorstius *oblectatus permotusque* edidit, Wouwerius *excitus* scripsit, *oblectatus permotus excitusque* ex uno libro adnotat. Ex quo apparet *excitatus* vel *excitus* a librariis non satis intellecto, quamvis nihil habeat difficultatis aut dubitationis, aut *permotus* explicandi causa superscriptum esse aut, si hoc ex codicibus sumpsit Sirmondus, *exercitatus* repositum, quod cum *maturitate* melius coniungi existimarent, librum, de quo mentio est, vix esse inspectum non videntes.

Ep. V 3 (323). *Ecce quod agimus indicamus, ecce adhuc quid agatis inquirimus. Fit a nostra parte quod pium est, vos deinceps facite quod videtur. Illud sane velut Atticas leges ita aere credite incisum, nos sub ope Christi numquam admissuros amoris terminum, cuius studuimus fundare principium.*

301. *Indicamus* ex A H V scripsi, *indicavimus* Wouwerius Sirmondus Mignius Baretus habent. Illud cum *fit* quod sequitur quodam modo congruit.

302. Pro *atticas* nescio an scribendum sit *antiquas* quod ego conieci, Wouwerius ex Opt. C. adfert. Cfr Plin.

ep. VIII 6, 14 *incisa et insculpta sunt publicis aeternisque monumentis praetoria ornamenta Pallantis sic quasi foedera antiqua, sic quasi sacrae leges.*

Ep. V 7 (327). *Sane, quod principaliter medetur afflictis, temperat Lucumonem nostrum Tanaquil sua et aures mariti virosa susurronum faece completis oportunitate falsi sermonis eruderat. Cuius studio factum scire vos par est nihil interim quieti fratrum communium apud animum communis patroni iuniorum Cibyratarum venena nocuisse neque quidquam Deo propitiante nocitura, si modo, quamdiu praesens potestas Lugdunensem Germaniam regit, nostrum suumque Germanicum praesens Agrippina moderetur.*

303. *Factum*, quod est in AHRZ, retinuerunt Wouwerius Sawaro Elmenhorstiusque, omisit V et U codicum scriptores, item Sirmondus Baretusque. Quod cum vix ullo modo defendi aut corrigi posse videatur, putandum est in archetypo a librario additum esse, ne verba *cuius studio* cum *scire* coniungerentur. Neque enim talis anacoluthi umquam me legere memini exemplum, quamquam interdum fit, ut sententiis conflatis ad proximum referatur quod aliter coniungendum fuit, ut Cic. Verr. II 2, 65, 158 *de quo hoc homine auditum est umquam, quod tibi accidit, ut eius in provicia statuae in locis publicis positae, partim etiam in aedibus sacris, per vim et per universam multitudinem deicerentur.*

Ep. V 8 (336). *Deus bone, quid illic inesse mellis leporis piperataeque facundiae minime tacitus inspexi, nisi quod ferventis fulmen ingenii et eloquii salsa libertas plus personis forte quam causis impediebantur, ut mihi non figuratius Constantini domum vitamque videatur vel pupugisse* et q. s.

304. *Fellis* in H et V scriptum est, in A autem *mellis*, eandemque lectionem in H et V additam repperi. *Mellis* retinuerunt Wouwerius Savaro Elmenhorstius, in aliquibus manuscriptis esse Mignius adnotavit. Illud

quidem hendecasyllabis — nam de iis agitur — magis videtur convenire. Cfr in primis Plin. ep. III 21, 1 *audio Valerium Martialem decessisse et moleste fero; erat homo ingeniosus acutus acer et qui plurimum in scribendo et salis haberet et fellis nec candoris minus* et quae ipse Martialis dicit VII 25 *dulcia cum tantum scribas epigrammata semper et cerussata candidiora cute, nullaque mica salis nec amari fellis in illis gutta sit, o demens, vis tamen illa legi.* Sed Sidonius ep. VIII 11 (432) talia describit epigrammata: *praeterea quod ad epigrammata spectat, non copia, sed acumine placens, quae nec brevius disticho, nec longius tetrasticho finiebantur; eademque cum non pauca piperata, mellea multa conspiceres, omnia tamen salsa cernebas.* Quare cavendum est ne A codicis lectione temere reiecta ipsius Sidonii genus loquendi spernentes, quod ex aliis fortasse scriptoribus librarii nondum perlectis Sidonii epistulis reponendum opinati sunt, id solum a Sidonio scriptum esse existimemus. Et respondent quodam modo *mel lepus piperata facundia* illis: *mellea salsa piperata.*

Ep. V 9 (337). *Sed ita se quodam modo tituli amborum compensatione fraterna ponderaverunt, ut prior fuerit fascium tenore, qui erat posterior dignitate.*

305. *Tenore* ex A scripsi, in H V *tēpore*, in R Z *tpr* repperi, in H autem superscriptum *vel tenore melius. Tenore*, quod ex duobus libris Wouwerius adnotat, Sirmondus Baretusque edunt; idem gallici interpretes, quamquam *tempore* scribunt, sic vertunt: celui qui était le second par son emploi, était le premier par l'ordre des faisceaux. Mignius *tempore* scribit, *tenore* in adnotatione commemorat.

Ep. V 10 (313). *Si quid omnino Pragmatius illustris bene, hoc inter reliquas animi virtutes optime facit, quod amore studiorum te singulariter amat, in quo solo vel maxime animum advertit veteris peritiae diligentiaeque restitisse vestigia. Et quidem non iniuria tibi fautor est.*

306. *Bene* non dubitavi ex A addere, quamvis omittatur in H R Z V U. Hoc verbum, quo mea quidem sententia carere non possumus, Sirmondus Mignius non habent, Wouwerius Savaro Elmenhorstius ante *Pragmatius* ponunt, quod in P codice factum adnotat Baretus. Hoc fortasse librario debetur, sed illo loco, quo *bene* in A positum vidimus, facilius a librariis neglegi potuit. Savaro non recte comparat Plin. ep. IV 15, 1 *si quid omnino, hoc certe iudicio facio, quod Asinium Rufum singulariter amo,* quamquam is locus Sidonio haec scribenti obversatus videtur.

307. *Et quidem* omnes habent editiones, sed in A H V scriptum est *equidem*, quod cum hoc modo raro ponatur, facile a librariis corrumpi potuit, praesertim cum in initio sequentis epistulae (315) *multum te amamus et quidem huiusce dilectionis non est erroneus aut fortuitus affectus* reperirent. De *equidem* cfr ep. VII 6 (377) *equidem cum clericus quisque defungitur* et q. s., ubi nulla fit primae personae mentio.

Ep. V 14 (330). *Calenses nunc te Baiae et scabris cavernatim ructata pumicibus aqua sulphuris atque iecorosis ac phthisiscentibus languidis medicabilis piscina delectat: an fortasse montana sedes circum castella, et in eligenda sede perfugii quandam pateris ex munitionum frequentia difficultatem?*

308. *Calentes Baiae,* quod Savaro Elmenhorstius Baretus scribunt, Savaro putat nunc appellari Chaudes Augues, cui sententiae assentitur in adnotatione sua Sirmondus. In gallicae interpretationis libro (II pag. 87 seq.) de alio quodam loco late disputatur. Mihi non placet haec verborum coniunctio, cum in *Baiae* inesse *calentes* videatur, quamquam potuit sane Sidonius ita scribere. Ex codicibus haec adferenda sunt. In A scriptum est *Gaienses* littera *i* ex *l* fortasse correcta, *Gaienses* ex Victor. 1, idem ex libro Danielis adnotat Wouwerius; *Caienses* in H Z V est, idem in libris Claromontensi, Cluniacensi, Cuiacii, Iuliani Durantii, Petavii, Puteani, Pithoei esse Savaro dicit, Sirmondus

recepit; in R omissa prima littera *aienses* scriptum est; *Calenses*, quod ex manuscriptis Latinii, Senonensi, vetere suo Savaro adnotat, retinuerunt Wouwerius et Mignius. *Calentes* ex libro Franc. Pithoei adfert Savaro, ex Montepessulano 541, qui idem fortasse est, et ex Paris. 14490 Baretus. Quod quidem minima codicum auctoritate niti apparet, in archetypo videtur scriptum fuisse *Calenses*, ex quo obscurata *l* littera in A fiebat *Gaienses*, quod *Gaio*, nam sic id nomen in A scribitur, simile videbatur (cfr ep. V 16 (334), ubi in A ex *paplanillae* correctum est *papianillae*), in ceteris *Caienses*, quod idem est. Iam vero *Calensis* nomen exstat: Gregorius Turonensis hist. Franc. X 19 *Calensem parisiacae urbis villam* nominat, quam aliis locis V 40, VII 4, Epit. 93 *Calam* appellat. Neque haec vox rara est in nominibus gallicis, et notissimi sunt *Caletes*. Quae omnia reputanti mihi tutius visum est *Calenses* quam *calentes* scribere. Addo in A scriptum esse *the Baiae*. In libro, qui inscribitur Dictionnaire archéologique de la Gaule Tom. I (Paris. 1875) pag. 219 nihil certi de hoc loco aut nomine prolatum est.

309. *Montana sedes* ex A et V scripsi, non *sedes montana*, quod Simondus Baretusque habent.

Ep. V 17 (317). *Itaque cum passim varia ordinum corpora dispergerentur, placuit ad conditorium Syagrii consulis civium primis una coire, quod nec impleto iactu sagittae separabatur.*

310. *Conditorium*, quod est in H R Z V U, plerique editores retinent, *conductorium* habet Elmenhorstius solus; id in manuscriptis Iureti, Latinii, Claromontensi scriptum, in manuscripto Fauchetii verbo *hospitium* recte interpretatum Savaro dixit, idem Wouwerius ex Opt. C. adnotat, ego in A inveni. *Conductum* certe ita dicitur, *conductorium* alibi repertum non est. Verum equidem miror talibus viris ad sepulcrum bipertitis, ut paulo post ait Sidonius, acclamationibus efflagitatam proferri his pilam, his tabulam. Quae alia de hoc loco adferuntur: *hic pars sub umbra palmitis*

adulti, quam stipitibus altatis cancellatimque pendentibus pampinus superducta texuerat et (318) *ergo, ut resedimus, et illum* (ludo fatigatum) *mox aquam ad faciem petere sudor admonuit, exhibita poscenti est, pariter et linteum villis onustum, quod pridiana squama politum casu sub ipsis aediculae valvis bipatentibus de ianitoris erecto trochleatim fune nutabat,* ea quoque magis hospitio quam monumento hereditario conveniunt. Quam ob rem equidem semel dictum illud verbum *conductorium* hoc loco ponere non dubitaverim. Error librariorum natus videtur ex antecedentibus: *conveneramus ad sancti Iusti sepulcrum, sed tibi infirmitas impedimento ne tunc adesses: processio fuerat antelucana* et q. s.

Ep. V 18 (319). *Haeduae civitati te praesidere coepisse libens atque cum gaudio accepi. Laetitiae causa quadripertita est: prima quod amicus, secunda quod iustus es, tertia quod severus, quarta quod proximus. Quo fit ut nostris nostrorumque contractibus primum velis debeas possis opitulari.*

311. *Haeduae* ex A H V scribendum censui, non *Aeduae.*

312. *Quadripertita* scripsi, non *quadripartita;* compendio vocis *per* in A H V ea de qua agitur syllaba scribitur.

313. *Primum* ex A H V scribendum videtur, non *plurimum,* quod nescio unde sumptum receperunt Wouwerius Sirmondus Mignius Baretus.

Ep. V 20 (311). *Utque videantur in negotii communis assertione legari, evectionem refundunt ipsosque sumptus ultro recusant et ab ambitu clam rogant singulos, ut ab omnibus palam rogentur. Sic quoque, cum fatigatio illorum gratuita possit libenter admitti, libentius tamen atque amabilius verecundi leguntur idque cum expensa. Tantum impudentia sese ingerentum ponderis habet, etiam fasci cum tributario nomine ipsorum nil superfunditur.*

314. *Illorum* in A H R Z V U omittitur, item in Savaronis Elmenhorstiique editionibus, a Wouwerio uncis inclu-

ditur; neque necessarium est, sed desideratum a librariis videtur Sidonium abstracte, ut aiunt, saepe loqui non reputantibus. Nam *fatigationem gratuitam* dixit de *gratuito negotium suscipientibus*.

315. In sequentibus recte Sirmondus *fasci cum*, quod est in V (*fascicum*) U N Paris. 2783, 3477, 14490, recepit, *fascium* reiecit, quod in A H, in quo tamen ante *um* littera videtur erasa, R Z P Paris. 2782 et 9551 scriptum est. Et *fascis* et *superfundere* iurisconsultorum sunt verba non admodum rara.

Ep. V 21 (313). *Nunc vos parenti venitis heredes quam iure tam merito. Ilicet ego poetae proximus fio professione, vos semine. Ergo iustissimum est ut die functo sic quisque nostrum succedat ut iungitur. Ideoque patrimoria tenete, date carmina.*

316. *Die functo* ex A scribendum est, in H R Z V corrupta vera lectione scriptum est *die finito*, sed in H et R et, quantum videre potui, in V primis manibus additur *vel functo*. Verum servant plerique editorum, *defuncto* Wouwerius et Elmenhorstius habent.

Ep. VI 1 (343). *Sed ora, ut quandoque resipiscam, quantum meas deprimat oneris impositi massa cervices facinorum continuatione. Miser eo necessitatis accessi, ut is pro peccato populi nunc orare compellar, pro quo populus innocentum vix debet impetrare si supplicet. Nam quis bene medelam aeger impertiat, quis febriens arroganti tactu pulsum distinguat incolumen, quis desertor scientiam rei militaris iure laudaverit, quis esculentus abstemium competenter arguerit? Indignissimus mortalium necesse habeo dicere quod facere detrecto et ad mea ipse verba damnabilis, cum imperem quae non impleo, idem in me cotidie cogor dictare sententiam. Sed si tu inter me et illum, cui concrucifigeris, Iesum Christum dominum nostrum pro sce-*

lerum meorum populo iunior mage quam minor Moyses intercessor assistas, non ulterius descendemus in infernum viventes.

317. *Facinorum continuatione* melius, sicut in A et H factum est, ad antecedentia referri apparet quam ad ea quae sequntur. Neque enim ante quidquam dixerat, quo *oneris impositi massa* explicaretur. Wouwerius et Elmenhorstius sententias, ut interdum solent, hoc loco omnino non dividunt, ceteri verba *facinorum continuatione* in initio novae sententiae ponunt.

318. *Impertiat* scripsi, non *impartiat;* in AHV syllaba *per* noto compendio scribitur.

319. *Arroganti* auctoritate consentientium AHRZVU codicum permotus scribere non dubitavi, *arrogante* Colvius in omnibus manuscriptis esse dicit. Prorsus hoc loquendi genus convenit Sidonio, nam *arroganti tactu* pro *arroganter* dictum est. In editione principe et a Wouwerio *aegrotanti*, a Sirmondo Mignio Bareto *arrotanti* scriptum est, quod ex hoc uno loco in lexicis allatum admodum dubium est, praesertim cum in *rotandi* verbi nulla vacillandi aut intremiscendi notio inesse videatur. Melius Sidonius, ni fallor, *errante tactu* scripsisset.

320. Verba *idem in me* Colvius, quem litteris maioris formae adhibitis sequitur Wouwerius, iurisiurandi formulam esse non recte putat. Ne is quidem qui V codicem exaravit locum intellexit, nam pro *me* scripsit *mea.*

321. *Iesum Christum* non est in AHRZVU; in iisdem scriptum est $\overline{dm}$, id est *deum* non *dominum*, quod editiones habent. Hoc quoque loco codicum lectionem ego recipiendam censeo. Cum *deum* in *dominum* mutatum esset, non male verba illa addebantur.

322. *Populo* cum aliis locis defendi poterit, ut non mutandum sit, tum carm. 15, 27 *plurimus hic Briareus populoso corpore pugnat*, ubi eadem fere est prosopopoeia.

323. *Moyses* ex AHV scripsi, non *Moses*, quamquam in A *y* additum est.

Ep. VI 4 (346). *Sed quia iudicii vestri medicinam expetunt civilitatemque qui negotium criminale parturiunt, vestrarum, si bene metior, partium pariter et morum est aliqua indemni compositione istorum dolori, illorum periculo subvenire et quodam salubris sententiae temperamento hanc partem minus afflictam, illam minus ream et utramque plus facere securam, ne iurgii status, ut sese fert temporis locique civilitas, talem discedat ad terminum, quale coepit habere principium.*

324. Nihil hoc loco ex codicibus adferam, neque tamen potui quin pluribus verbis exscriptis mendum certum certa emendatione tollendum significem. Pro *civilitas*, quod in omnibus codicibus editionibusque scriptum ferri nequit, reponendum est *qualitas*, quo verbo Sidonium uti vel uno sufficit exemplo demonstrare ep. VIII 11 (432) *pro personae temporis et loci qualitate.* Vitium ex antecedenti *civilitatemque* ortum videtur.

Ep. VI 8 (351). *Quem propediem non iniuria reor mercatorem splendidum fore, si hinc ad vestra obsequia festinans, frigoribus fontium civicorum saepe fontem mercatoris anteferat.*

325. Probabilem huius loci explicationem Savaro hanc protulit: "cito locuples mercator evadet, si frigori fontium civitatis Arvernae, qui sunt conclamati frigoris et gelidi et idcirco vulgo vocantur Fongieve, fontem mercatoris, id est Massiliam anteferat." *Fons* verbum quamvis aptius ad res quam ad homines referatur, hoc loco positum defendendum videtur loco Quintiliani I 10, 13 *quid de philosophis loquor, quorum fons ipse Socrates iam senex institui lyra non erubescebat,* quocum cfr Cic. de orat. I 10, 42 *urgerent praeterea philosophorum greges iam ab illo fonte et capite Socrate nihil te de bonis rebus in vita* et q. s. Sed ad multitudinem saltem refertur, hic vero quem tractamus locus propter singularem *mercatoris* verbi numerum, cui collectiva, ut aiunt, significatio vix attribui potest, non satis dilucidus est. Ex codicibus haec adnotata habeo: pro

frigoribus in H scriptum est *frigore;* quod sequitur *fontium* in V ex *frontium* est correctum, Wouwerius *montium* vulgo scribi dicit; *fontem* verbo in A secunda, ut videtur, manu *r* superscriptum, pro *mercatoris* ponitur *mercatoribus,* cuius ultima syllaba per compendium scribitur b9, et in H additur *vel b*;. Sirmondus *mediatoris* et *medicatoris* adnotavit, quorum ne illud quidem aptum videtur, quamquam de *locaticia fatigatione* et mercibus transmittendis in antecedentibus sermo fuit. Mihi *mercatoris*, quod non in omnibus codicibus scribatur, mutandum videtur, ut fiat *mercatorum* vel *mercatorium* vel *mercationis* vel aliquid aliud, quod facilius cum verbo *fontem* coniungi possit.

Ep. VI 10 (352). *Quem si domesticis fidei deputata humanitate foveatis, id est ut debitum glebae canonem non petatur, tantum lucelli praestitum sibi computat peregrini hominis ut census sic animus angustus, ac si in patrio solo rusticaretur.*

326. *Id est*, quod in A superscriptum est, nescio an retinendum sit, quamquam aptum non erat humanitatem christinanam dicere id ipsum esse, quod tum rogabatur. Sed cfr quae pag. 16 de ep. I 6 (180) *id est* sunt dicta.

327. *Petatur*, quod in A H V esse ego vidi, Sirmondus in omnibus fere libris reperiri dicit, recte is retinuit; in H explicandi causa additur *ille.* Ceteri editores excepto Mignio *petatis* ponunt; satis habeo idem ac Sirmondus adferre exemplum carm. 23, 29 (575) *usuram petimurque reddimusque.*

328. Quae post litteris latius dispositis excussa sunt, parenthesim habent Wouwerius Savaro Elmenhorstius. Sed ego non dubito, quin Sidonius, ut solet, oratione a sensibus sevocata *computat hominis ut census sic animus angustus* ita dixerit, ut sit *computat homo ut censu, sic animo angusto.*

Ep. VII 2 (372). *Summatibus deinceps et tunc comiti civitatis non minus* *oportunis* *quam frequentibus excubiis agnosci innotescere familiarescere, sicque eius in dies sedulitas maiorum* *sodalitatibus* *promoveri; fovere boni quique certatim, votis omnes, plurimi consiliis, privati donis,* *cincti* *beneficiis adiuvare, perque haec spes opesque istius raptim saltuatimque* *cumulari.* *Forte accidit ut diversorio, cui ipse successerat, quaedam femina non minus censu quam moribus idonea vicinaretur, cuius filia infantiae iam temporibus* *emensis* *necdum tamen nubilibus annis appropinquabat. Huic* *hic blandus* *— siquidem ea aetas infantulae, ut adhuc decenter — nunc quaedam frivola, nunc ludo apta virgineo scruta donabat, quibus isti parum grandibus causis plurimum virgunculae animus copulabatur. Anni obiter thalamo pares. Quid* *moror* *multis?* *Adolescens* *solus tenuis peregrinus filius familias et e patria patre non solum non volente, verum etiam ignorante discedens puellam non inferiorem natalibus, facultatibus superiorem medio episcopo, quia lector,* *solatio* *comitis, quia cliens, socru non inspiciente substantiam, sponsa non* *despiciente* *personam uxorem petit impetrat ducit. Conscribuntur tabulae nuptiales, et, si qua* *est* *istic municipioli nostri suburbanitas, matrimonialibus illic inserta documentis,* *mimica* *largitate recitatur. Peracta circumscriptione legitima et fraude sollemni levat divitem coniugem pauper adamatus et diligenter quae ad* *socerum* *pertinuerant rimatis convasatisque non parvo etiam corollario facilitatem credulitatemque munificientiae socrualis emungens receptui in patriam cecinit* *praestigiator* *invictus. Quo profecto mater puellae pro* *hyperbolicis* *instrumentis coepit actionem repetundarum velle proponere et tunc demum de mancipiorum sponsaliciae donationis paucitate maerere, quando iam de nepotum numerositate gaudebat. Ad hanc placandum noster Hippolytus perrexerat, cum litteras meas prius obtulit. Habetis historiam iuvenis eximii, fabulam* *Milesiae* *vel Atticae parem.*

329. Pro *sodalitatibus* Wouwerius per errorem fortasse scripsit *sedulitatibus*, quod in quattuor libris esse dicit.

330. *Cincti* ex A H Z scripsi; fugit hoc omnes quos cognovi editores, qui nulla commemorata lectionum varietate *cuncti* habent; Mauius ex R *cunctis* adnotavit. Haec vix ferenda sunt, illud certe optimum. *Cinctos* hoc loco magistratus dicit Sidonius, alibi *cinctos* et *discinctos* opponit ut ep. I 9 (197) *quod qualia impetrabat cinctus Avienus suis, talia conferebat Basilius discinctus alienis* et ep. V 7 (326) *cinctis iura, discinctis privilegia.*

331. Pro *cumulari* Baretus solus *promoveri* ex antecedentibus posuit.

332. *Emensis*, quod in AHRZ (*em̄sis*) est et ex Vict. 3 a Wouwerio adfertur, huic et Elmenhorstio, nescio quam ob rem, displicuit: scripserunt enim *emersis*, debebant saltem *emersa* scribere.

333. *Hic blandus*, quod est in A H R Z, prorsus necessarium est vel propter ea quae proxime sequuntur; *Hichaldus* a Wouwerio ex duobus libris adnotatum, Elmenhorstius recepit, Savaro in adnotatione pag. 421 (*noster Hippolitus*) scripsit. Quem *Amantium* appellatum esse Sirmondus in sua adnotatione pag. 71 (*callidus viator*) recte demonstrat.

334. *Morer*, quod in A repperi, nescio an recte Savaro Elmenhorstiusque praetulerint alteri lectioni *moror.*

335. *Adolescens* in A et H est, non *adulescens.*

336. *Solatio* quid opus fuerit adulescenti illi in uxore petenda impetranda ducenda non video; neque recte vertunt gallici interpretes: appuyé du comte en qualité de client, quamquam tale quid desiderari videtur. Longe aliter Tacitus ann. II 86 *et Caesar quamvis posthabitam decies sestertii dote solatus est. Solatii* quoque verbo damni restitutio significatur. Neque puellam matremque eius comes solatus esse aptius dicitur, cum illa etsi *facultatibus superior*, tamen *non inferior natalibus* fuerit. Mihi scribendum videtur *salario comitis*, quo verbo usus est Sidonius ep. V 7 (326) *salaria tabulariis.*

337. *Despiciente* ex A H R Z scripsi, non *dispiciente*, quod editoribus placuit excepto Sirmondo, qui illud habet.

Nimis levis haec esset oppositio, cum altera *inspicere*, altera *dispicere* diceretur.

338. *Si qua istic municipioli nostri suburbanitas* omisso *est* scribi malim; *est* in H R Z ponitur, in A omittitur, fortasse in aliis quoque codicibus, quoniam ab uno tantum editore, Wouwerio receptum est.

339. *Mimica* sine dubio scribendum est, non *inimica*, quod retinuit Wouwerius. Hoc autem in A R Z est et fuit in H, in quo primis litteris paululum correctis vera lectio restituta est. Eandem ex libro Pithoei Wouwerius adnotavit.

340. *Socrum*, quod est in A, dubito num iure receperit Wouwerius; *socerum* H R Z habent.

341. In verbo *praestigiator* qui A et H scripserunt ultimum *i* omiserunt, inde fortasse ortum est *pervestigator*, quod ex Vict. 2 Wouwerius attulit.

342. *Hyperbolicis*, quod est in A et H, recte defendit Sirmondus, cui tamen *hypobolicis* melius videtur. De his quidem agebatur, sed eam ipsam ob rem, quia iis plus quam possidebat sponsus largitus erat. Itaque apte *hyperbolica* dicuntur instrumenta. Et ὑπερβολικός exstat, ὑποβολικός non est.

343. *Sponsaliciae* ex A et H scripsi, non *sponsalitiae*.

344. *Milicie* in A scribitur, idem in H mendum est; *militiae* retinuit Savaro, quamquam verum vidit, et Elmenhorstius; *militiae velatrici* male Wouwerius edidit, non meliora commenta adnotans, qualia *vel acticae*, *malitiae*, *veteratrici*, *veratrici*. Sidonius *vel atticae* fortasse ideo scripsit, ut, cum lasciva non esset narratio, *Milesium* nomen quodam modo corrigeret.

Ep. VII 6 (377). *Altius inspicite spiritualium damna membrorum: profecto intelligetis, quanti subripiuntur episcopi, tantorum vobis populorum fidem periclitaturam.*

345. *Quanti subripiuntur episcopi*, quod ab omnibus, quod sciam, editoribus scribitur, recentiorum codicum nititur fide. In R et Z ita scriptum est; item secunda manu in H erasis totidem fere litteris, in *quanti* autem *i* littera

sola corrigenti debetur. Wouwerius ex quattuor libris *supprimuntur* adfert, ex Opt. C. *quanto sub rete premitis*, id ipsum ego in A codice repperi sic scriptum *quanto sub r&epmitis epi*. Ex quibus nescio an ea sententia eruenda sit, quam verbo *supprimuntur* expressam in quibusdam libris vidimus. Nam paulo ante dixit Sidonius: *equidem cum clericus quisque defungitur, si benedictione succidua non accipiat dignitatis heredem, in illa ecclesia sacerdotium moritur, non sacerdos* et paulo post rogat ut *episcopalis ordinatio permittatur;* quod priusquam fieret, *supprimebantur* vel inhibebantur, ut ita dicam, episcopi. Itaque, cum nimis audax talis sit coniectura *quantos subrogare praetermittitis episcopos*, A codicis lectione paululum mutata scribendum puto *quantos sub rete premitis episcopos*. Verbum *rete* hoc modo a Sidonio poni potuisse ex eo colligo, quod alio loco translato sensu id ponit hoc modo: ep. II 12 (227) *sed dabis veniam, quod invitanti tibi in piscationem comes venire dissimulo, namque me multo decumbentibus nostris validiora maeroris retia tenent, quae sunt amicis quoque et externis indolescenda* et similiter ep. VIII 9 (419) *nosti enim probe laetitiam poetarum, quorum sic ingenia maeroribus, ut pisciculi retibus amiciuntur.* Conferendum illud quoque est Plinianum (ep. II 8, 2): *numquamne hos artissimos laqueos, si solvere negatur, abrumpam? numquam, puto; nam veteribus negotiis nova adcrescunt, nec tamen priora peraguntur: tot nexibus, tot quasi catenis maius in dies occupationum agmen extenditur,* nec prorsus alienus est locus Ciceronis Verr. II 5, 58, 150 *nunc tibi ego ullam salutem, ullum perfugium putem, cum te implicatum severitate iudicum, circumretitum frequentia populi Romani esse videam? si mehercule — id quod fieri non posse intellego — ex his te laqueis exueris ac te aliqua via ac ratione explicaris, in illas tibi maiores plagas incidendum est.*

Ep. VI 7 (384). *Ecce iterum Amantius nugigerulus noster Massiliam suam repetit aliquid, ut moris est, de ma-*

nubiis civitatis domum reportaturus, si tamen cataplus arriserit. Per quem iocalariter plura garrirem, si pariter unus idemque valeret animus exercere laeta et tristia sustinere, siquidem nostri hic nunc est infelicis anguli status, cuius, ut fama confirmat, melior fuit sub bello quam sub pace conditio. Facta est servitus nostra pretium et q. s.

346. *Si tamen cataplus* plerique editores habent, Wouwerius tamen *et* ante *cataplus* addit, Savaro ep. VI 8 *catapli recentis* explicans (pag. 394) *si tamen aut cataplus* scripsit. Id ipsum in A scriptum est *si tam̄ aut cata plus*; in H litterula erasa est post *si* et pluribus post *tam̄* erasis litteris paulo maius spatium vacuum est; in recentioribus libris R et Z *aut* esse negat Mauius. Cuius particulae quae fuerit addendae causa cum non intellegam, suspicor scriptum fuisse *si tamen ante cataplus arriserit*, nisi forte verbum intercidisse verisimilius putes.

347. Pro *melior* in A scriptum est *min9*, in H verbo eraso superscriptum est *melior*, illi rursus aliquid superscriptum erat, item verbo *confirmat*, sed utrumque deletum est. Ex quo suspicor hanc fere fuisse archetypi lectionem: *cuius, ut fama confirmat, minus fuit sub bello quam sub pace conditio dura; facta est servitus nostra pretium securitatis alienae*, librarios *dura* et *facta* non recte coniunctis, cum *pretium* sequi vidissent, *dura* expungendum arbitratos *minus* aut neglectum reliquisse aut in *melior* mutavisse; in H autem primo mansisse *minus*, deinde *melior* inculcatum esse, tum veram lectionem a correctore ex meliore codice restitutam, postremo hanc, cum in alio eius codice non esset, deletam.

Ep. VII 9 (363). *Omnes placebant sibi, omnes omnibus displicebant. Neque enim valuissemus aliquid in commune consulere, nisi iudicii sui faciens plebs lenita iacturam sacerdotali se potius iudicio subdidisset presbyterorum sane paucis angulatim fringultientibus, porro autem palam ne mussitantibus quidem, quia plerique non minus suum quam reliquos ordines pertimescebant. Igitur dum publice*

totos singuli cavent, factum est ut non aspernanter audirent, quod deinceps ambienter expeterent.

348. *Enim* omittitur in V, quod melius duco.

349. *Valuissemus aliquid* ex AHRVU scripsi, inversum Baretus solus ponit ordinem.

350. *Expeterent* in omnibus editionibus repperi, sed quid re peracta *expeti* potuerit equidem non video. Sed in A et U repperi *exponerent*, quod iam Wouwerius in adnotatione commemorat. Idem in H superscriptum alteri lectioni repperi; hanc solam habent RZV; aliquid tale a librariis requisitum esse alia lectio demonstrat aeque corrupta, quam ex Vict. 3 attulit Wouwerius, *expectarent*. Reposita A codicis lectione dicuntur libenter audita esse, quae post ambitiosissimus quisque spe praecisa in suum tamen honorem exponeret. Itaque *ambienter* apte Sidonius posuit.

Ep. VII 9 contio (370). *Maxime ambiendus, quia minime ambitiosus non studet suscipere sacerdotium, sed mereri. Dicit aliquis: unde tibi de illo tam cito tanta comperta sunt? Cui respondeo: prius Bituriges noveram quam Bituricas; multos in itinere, multos in commilitio, multos in contractu, multos in tractatu, multos in sua, multos in nostra peregrinatione cognoscimus. Plurima notitiae dantur et ex opinione compendia, quia non tam parvos terminos posuit famae natura quam patriae. Quocirca si urbium status non tam murorum ambitu quam civium claritate taxandus est, non modo primum qui essetis, sed ubi essetis cognovi. Uxor illi de Palladiorum stirpe descendit, qui aut litterarum aut altarium cathedras cum sui ordinis laude tenuerunt. Sane quia persona matronae verecundam succinctamque sui exigit mentionem, constanter astruxerim respondere illam feminam sacerdotiis utriusque familiae vel ubi educta crevit, vel ubi electa migravit.*

351. *Dicit aliquis* ex consentientibus A (*dic̄*) HV codicibus scripsi, non *dicet mihi aliquis*, quod habent Sir-

mondus Mignius Baretus; Wouwerius, cum *dicet* [*mihi*] *aliquis* edit, *mihi* in libris non esse videtur indicare.

352. *Bituricas* ex A scribendum est, in H et V repperi *Biturigas*. Illud in initio ep. VII 5 (361) omnes editores per *c*, hoc loco per *q* scribunt.

353. *Multos in contractu* in A cum omissa essent, in margine post *multos in tractatu* scribenda fuisse significantur; hunc ordinem servant HRZ, inversum V et U habent. Ego consentientibus illis plus quam his auctoritatis tribuendum censeo. Sic paulo ante cum *commitilio* A habeat, *commicilio* H R Z, non dubito quin in archetypo tale mendum fuerit, in V (*commilicio*) et U correctum sit.

354. Quae illa excipiunt in A solo hoc modo scribuntur: *quosdam in sua*, *plerosque in nostra peregrinatione cognoscimus*. Variavit fortasse Sidonius in his verbum iam quater positum, praesertim cum *multos in itinere* iam dixisset. Nihil equidem adfirmaverim, quamvis tam molestam verbi *multus* repetitionem, qualem supra ex HRZVU et editionibus invitus scripsi, Sidonio placuisse mihi minime constat.

355. *Primum modo* in A repperi, quod fortasse magis perspicuitatem adiuvat quam *modo primum*, quamquam, quod fatendum est, *nunc primum* semper dici videtur, non *primum nunc*. Gallici interpretes locum non intellegentes sic vertunt: j'ai dû savoir d'abord non seulement qui vous êtes, mais encore oû vous êtiez. Sed hoc dicitur: non tum *primum*, cum oppidum vestrum intrabam, quales essetis, sed illud tantum, quali in oppido essetis, agnovi.

356. *Educta* ex AHV scribendum est, non *educata*, quod Wouwerius Sirmondus Mignius habent. Savaro recte comparat ep. III 11 (243) *vel sic electus gener*, *vel educta sic filia*.

Ep. VII 11 (379). *Atque utinam haec esset Arvernae forma vel causa regionis, ut minus excusabiles excusaremur.*

357. *Excusaremur* ex A H R Z U scribendum censeo; V codicis scriptori elegantius visum est *iudicaremur*, quod nihil adnotans recepit Wouwerius. Etiam gallici interpre-

tes quamquam *excusaremur* retinent, ad hanc tamen lectionem accommodatius reddunt: et plût à Dieu que l'état ou la situation du pays Arverne fût de nature à nous rendre moins excusables. Nos tutius tam multis tamque consentientibus codicibus fidem habebimus.

Ep. VII 14 (389). *Conclamata sunt namque iudicio universali scientiae dignitas, virtus: praerogativa cuius ad maximum culmen meritorum gradibus ascenditur.*

358. Multis modis hoc loco variantur codicum lectiones. In A *conclamati* scribitur, post *sunt* autem brevius vocabulum erasum videtur. In V *namque* ex *neque* correctum est; post *universali* in fine versus littera erasa est, et sequentis verbi initium in rasura scriptum est. Eodem loco in H codice rasuram repperi, *scientiae* in extremo versu positum. Wouwerius verba *iudicio universalis scientiae* in plerisque libris non exstare adnotat. *Universalis* ex codicibus suis fortasse Wouwerius Elmenhorstiusque reponunt. Prorsus male coniunguntur *iudicio universalis scientiae,* nam de *scientia* hoc loco agitur, quod verbum ad sequentia referatur necesse est.

359. In his Mohrius postquam recte vituperavit inusitatum asyndeton *dignitas virtus* inaequabilitatemque membrorum reiecta ea quam supra scripsi lectione, quae in Sirmondi editione reperitur, scribendum putat *scientiae dignitas, virtutis praerogativa, cuius ad maximum culmen.* Quod verbum mutavit *virtutis,* ita iam Wouwerius edidit. Sed nihil temere mutare volentibus melius videbitur in optimi codicis A lectione acquiescere, quae haec est: *scientiae dignitas virtus praerogativa, cuius ad maximum culmen.* Accedit V codicis auctoritas, in quo sic verba distinguuntur: *dignitas, virtus, praerogativa, cuius.*

Ep. VII 14 (390). *Ieiunandum alternis putas? non piget sequi: prandendum? non pudet praevenire.*

360. Sic scribit Mignius, quod verum esse existimo,

quamquam variae sunt codicum lectiones. In A verbis *non piget* superscriptum est *me*, quod librario potius quam Sidonio deberi ex aliis locis, ubi talia adduntur, facile paret; pro *prandendum* scribitur *prandium*, neque tamen quidquam additum est, sicut in aliis codicibus factum videbimus; addo post hoc verbum recte interpunctum esse. In H V U vera lectio servata est, sed in H addita est *ad* praepositio ante *prandendum*, quae in R et Z verbis Sidonii inserta legitur. Hanc lectionem receperunt Savaro Elmenhorstius Sirmondus Baretus, reddunt gallici interpretes, quamquam veram ediderunt: penses-tu qu'il faille jeûner de deux jours l'un? je ne crains pas de te suivre; je ne rougis pas non plus de te devancer au dîner. In altera lectione *praevenire* est *priorem invitare*. Wouwerius nulla apposita adnotatione sic locum scribit: *ieiunandum alternis putas; nos piget sequi, prandendum non pudet praevenire.*

Ep. VII 15 (357). *Quicquid illud est, iam venite, hac deinceps condicione discessum impetraturi, ut aut vicissim redeatis aut serius. Namque licet ruri positi strenuos impleatis agricolas, tum vere propriam terram fecundabitis, si ecclesiam, quam plurimum colitis, plus colatis.*

361. *Condicione* ex V scripsi, non *conditione.*

362. *Namque licet* ex A H R Z scribendum est; in V *Namq; libet* est, sed *c* supra *b* additum; *quamlibet* in H superscriptum repperi, ex quo quod fit *nam quamlibet* receptum est a Sirmondo Mignio Bareto, a Wouwerio ex Victor., a Mauio ex U adnotatum.

363. *Tum* in A H R Z V est, non *tunc*, quod habent Savaro Sirmondus Mignius Baretus.

364. *Vero*, non *vere* (quod est in H R Z V) Wouwerius et Elmenhorstius scribunt, vix recte, quamquam in A et U est u (with o written above), in H idem prima manu superscriptum est.

Ep. VIII 6 (406). *Tu nunc inter ista quid rerum? quas mihi ad vicem nosse non minus cordi. Venaris aedificas rusticarisne? an horum aliquid unum, an singula vicissim, an pariter et cuncta.*

365. *Et cunctim* ex A codice scribendum videtur. Idem in V correctione effectum est, in H prima manu superscribitur vulgatae lectioni *cuncta*. Id in V fuisse non videtur, in A codicis margine reperitur. In hac epistula (405) *cunctim* eodem fere modo positum est: *qui non sensim singulatimque, sed tumultuatim petitus et cunctim.* Codex R ac Sirmondus Baretusque *et cuncta* habent, ceteri editores *et* omisso *cuncta* retinent, quod certe melius est, si A codicem non sequimur. Sed ego non dubito quin ibi inveniatur verum.

Ep. VIII. 6 (408). *Praeterea priusquam de continenti in patriam vela laxantes hostico mordaces anchoras vado vellant, mos est remeaturis decimum quemque captorum per aequales et cruciarias poenas plus ob hoc tristi, quod superstitioso, ritu necare superque collectam turbam periturorum mortis iniquitatem sortis aequitate dispergere. Talibus se ligant votis, victimis solvunt et per huius modi non tam sacrificia purgati, quam sacrilegia polluti religiosum putant caedis infaustae perpetratores de capite captivo magis exigere tormenta quam pretia.*

366. *Aequales* Savaro Sirmondus Mignius Baretus scribunt, sic vertunt gallici interpretes: des supplices égaux et horribles; id in A (*equales*) repperi. Sed ex maiore turba codicum (H R Z V U N P L) *aquales* adfertur, quod a Wouwerio Elmenhorstioque receptum Chatelainius defendit. Quae lectio ut prima specie multo melior videatur, accuratius inspecta vereor ne probari omnino non possit. Primum dicendus fuit decimus quisque aqualibus *aut* cruciariis poenis affici; deinde *superstitiosus* quidam *ritus* commemoratur, cui una atque eadem magis convenit poena; sequitur *sortis aequitate*, cui opponitur iniuria mortis — hanc enim dicit *iniquitatem* —, hoc quoque ad unum supplicii genus quis neget spectare? Nec *victimae sacrificia caedes* de aquali-

bus poenis apte dicuntur. Quae omnia considerans *aequales* retinere satius existimo quam *aquales* scribere. 'Illud si quis male cum *cruciarias* coniungi putabit, non improbabili emendatione reponet *per equuleos et cruciarias poenas.* Haec suspicor ritu illo adhibita esse *tormenta.*

367. Proximae sententiae prima verba ex Savaronis coniectura ab Elmenhorstio recepta scripsi; idem tamen Wouwerius ex Opt. C. attulit. Codices AHRZUP Paris. 2783 et 3477 *talibus eligunt* habent, idem Sirmondus Mignius Baretus. In V *eligant* repperi et *a* litterae *u* superscriptum, deinde ante *victimas* prima, ut videtur, manu *quos* additum, tum *solvant*, non *solvunt.* Illud vix habendum est pro vestigio verae lectionis, *quos* certe est emendandi conatus.

Ep. VIII 8 (427). *Agrum si mediocriter colas, possides, si nimium, possideris. Redde te patri, redde te patriae, redde te etiam fidelibus amicis, qui iure ponuntur inter affectus. Aut si te tantum Cincinnati dictatoris vita delectat, duc ante Raciliam quae boves iungat. Neque dixerim sapienti viro rem domesticam non esse curandam, sed eo temperamento, quod non solum quid habere, sed quid debeat esse consideret.*

368. *Raciliam* recte sine dubio scripsit Sirmondus; hanc enim Livius appellat Cincinnati uxorem. *Hersiliam* Romuli coniugem, quam Sidonius carm. 7,440 (508) commemorat, librarii fortasse in mente habuerunt, siquidem *Erciliam* omnes fere scripserunt; ex Z *erihiliam* Mauius adnotavit. Minus recte Sirmondus *ante* coniecit. Neque enim hoc amico Sidonii ruralium, ut ait, operum negotioso convenit, cum *tandem* potius exspectetur. Sirmondus in vetere libro dicit esse *ducant Erciliam*, in V et ego et Mauius repperimus *ducunt*, quod sub altero *u* in dua vocabula dividendum secunda, ut videtur, manu significatur. Hoc in H quoque factum est, post *duc* autem tres fere litterae erasae sunt; in R *ducerciliam* scribitur, idem in A, post *duc* dividendi nota postea interposita est. Wouwerius ex codicibus adfert *Eleriam, Exiliam, Erciliam,* ipse *ducito Celeriam* scribit; Savaro Elmenhorstiusque

duc Erciliam habent. Apparet, ni fallor, in archetypo aliquid inter *duc* et nomen proprium fuisse, quod obscuratum in V, ut fieret *ducunt*, pro *unt* acciperetur, in ceteris, cum non intellectum esset, aut post eraderetur, aut statim omitteretur; illud enim in H, hoc in A R Z factum vidimus. Ego *ducito Celeriam* illud, quod habet Wouwerius, non sine codicis ope coniectum esse suspicans, praesertim cum *Celeriam* in omnibus libris impressis esse iam Colvius dicat, puto scribendum esse *duc cito Raciliam*, ex quo facillime longius a laeva parte ducta *t* litterae linea transversali factum est *ducūtoraciliam*, deinde *ducunteraciliam*, postremo *ducunterciliam*. Et verbo *celeriter* eidem quam conieci lectioni superscripto effici potuit *ducito Celeriam*. Ex U Manius *rūcunt erciliā* adnotavit.

Ep. VIII 11 carm. vers. 18 seq. (430).

Hoc pernix habitu meum memento
Orpheum visere, qui cotidiana
saxa et robora corneasque fibras
mollit dulciloqua canorus arte,
Arpinas modo quam tonante lingua
ditat, nunc stilus aut Maronianus
aut quo tu Latium beas, Horati,
Alcaeo melior lyristes ipso.

369. *Quam* ex A H R Z scripsi, id in V quoque reperitur, quamquam prius fuit *quem*, quod ex U adnotat Manius. Hoc receperunt Sirmondus Baretusque, Wouwerius *quae* reposuit. *Quam* H codicis scriptor addito *artem* recte explicavit.

370. *Ditat* ex A H R Z U scripsi, in V est *dictat*, quod, quamvis sensu careat, Savaro Elmenhorstiusque admittunt, Wouwerius melius, quamvis non verius, ad *quae* refert.

371. *Melior* est in A H R Z V (ubi tamen hic versus et qui antecedit omissi secunda, ni fallor, manu, in margine adscribuntur) U N Paris. 2783 et 3477, idem ex duobus libris Wouwerius adnotat; *potior* nescio unde scriptum

tamen is recepit, idem Sirmondus Mignius Baretus. Equidem hoc vix crediderim rarius poni a Sidonio quam illud. Et paulo post in ep. VIII 16 (435) librarius repperit *sed reserventur ista potioribus*, ubi sane eadem est atque hoc loco eius verbi significatio. Sed utrum a librariis pro vero positum putandum sit cum dubium videatur, nulla est causa cur *potior* alteri lectioni anteponamus.

372. *Lyristes* verbi ultimam syllabam correptam recte defendit Sirmondus; non igitur audiendus est Munckerus, qui in adnotatione ad Hygin. fab. 223 (ed. Amstelodam. a. 1681 pag. 289) *lyristis* primitus exaratum fuisse putat, sicut *Euterpe Euterpis*, *luis* pro *lues*, *Iohannis* pro *Iohannes* dicatur.

Ep. VIII 14 (412). *Quoties hortantibus vobis in quocumque compuncto culpas suas anima poenaliter recordata suspirat, quis vos ambigat paria turturum aut binos pullos columbarum, qui duplicem substantiam utriusque hominis nostri tam numero quam gemitu assignant, mystico litasse sacrificio? Quoties vestro monitu obesum quicumque corpus aestuantemque turgidi ventris arvinam crebro ieiuniorum decoquendus igne torruerit, nulli dubium est vos tunc similam frictam in quadam continentiae sartagine consecraturos.*

373. *Poenaliter* ex A et U scribendum est, non *lacrimaliter*, quod in H R Z et tribus Wouwerii libris repertum Savaro recepit. Scribendum fuit *lacrimabiliter*, sed cfr ep. IX 3 (454) *animam male sibi consciam et per horas ad recordata poenalis vitae debita contremiscentem.*

374. *Frictam* ex A et H scripsi; in hoc prima manu varia lectio superscribitur *frixam*, quod a Wouwerio Sirmondo Mignio Bareto receptum est.

Ep. IX 1 (438). *Nos vero si quod exemplar manibus occurrerit libri marginibus octavi celeriter addemus, etsi*

Apollinaris tuus, cui studium in ceteris rebus, est in hac certe neglegentissimus, quippe qui perexiguum lectione teneatur vel coactus vel voluntarius, quantum tamen mihi videtur, qui patribus iis iungi non recusaverim, quorum studio voto timori laudabile aliquid in filiis, licet difficile persuadeatur, difficilius sufficit.

375. Ita hic locus a Wouwerio Sirmondo Mignio Bareto editur, et haec est lectio codicum H R Z Paris. 2782, 2783, 9557; sed in H aliud fuit, *studium* enim in rasura scriptum est, item *neglegentissimus* (ita ex A H F scripsi, non *negligentissimus*) tribus primis litteris exceptis. In P et aliis verbis erasis in F hoc exaratum est: *etsi Apollinaris tuus cum in ceteris rebus tum est in hac* et q. s., quod receperunt Savaro Elmenhorstiusque. Ex A illud et ego et Mauius adnotavimus: *etsi Apollinaris tuus cuius ams. cū ī ceteris rebus est, in hac certe neglegentissimus.* Wouwerius nihil adnotat; Sirmondus ex codicibus adfert *cuius animus cum in ceteris rebus, tum est in hac certe negligentissimus.* In archetypo *studium* illud non fuisse apparet, sed ortum esse emendandi conatu. Qui quidem minus felix videtur, cum *est* male in illa sententia omittatur, in sequenti continuo ponatur. Sed multo peius id est, quod Sirmondus attulit, quo probato intolerabile exsistit anacoluthon. Melius, non rectius i F codice *cuius animus* deletur. Ego hanc puto fuisse archetypi lectionem: *etsi Apollinaris tuus, cuius animus iacet et in ceteris rebus, est in hac certe neglegentissimus*, in qua omnia optime cohaerent. *Iacere* enim desidiosi et segnis est, et *animum* suum *natura desidiosissimum* Sidonius ipse ep. IV 11 (302) dixit.

Ep. IX 3 (452). *Servat consuetudinem suam tam facundia vestra quam pietas, atque ob hoc granditer, quod diserte scribitis, eloquium suscipimus, quod libenter, affectum.*

376. Ita locum restituendum esse non Sirmondus, ut ait Baretus, primus vidit, sed iam Vinetus aut certe Wouwerius, qui *scribitis* in libris se repperisse dicit. Ego

de *scriptitatis* atque etiam *scriptatis* cogitavi, quia *diserte scriptis* a Bareto ex N allatum in A et U quoque repperi, nisi quod post *di* littera *s* erasa est; in H R Z *disserte* scribitur, *discrete* Wouwerius ex duobus libris adnotat. Mendum archetypi *scriptis* causa fuit maioris corruptelae, nam in H ante *disserte* super lineam additur *sic* et post illud ponitur *in*, id quoque, ni fallor, exstremo versu posterius inditum; in F *sic diserte scriptis* prius est scriptum, *in* ante *scriptis* postea additum. Utrumque additamentum in contextum verborum a codicum R Z P Paris. 2782, 2783, 9551 scriptoribus receptum male defendit Savaro, quem sequitur Elmenhorstius. Wouwerius quamquam in adnotatione verum approbat, falsam meliorum codicum lectionem *quod diserte scriptis* retinet.

377. *Suscipimus* in *suscepimus* nescio qua ratione mutatum sit in Wouwerii Savaronis Elmenhorstii editionibus. Melius, quamvis non magis necessarium, est *suspicimus*, quod ex iisdem atque *scribitis* illud libris Wouwerius adfert.

Ep. IX 3 (453). *Praeter hoc ipsa mens nostra domesticis hic inde dispendiis saucia iacet. Nam per officii imaginem vel, quod est verius, necessitatem solo patrio exactus, huc relegatus variis quaquaversum frangor angoribus, quia patior hic incommoda peregrini, illic damna proscripti.*

378. Ita hunc locum ex codicum indiciis recte emendatum edidit Wouwerius et iam ante, ut videtur, Vinetus. In A H R U N Paris. 2783, 3477 *hoc* pro *huc* scriptum est, sed ex eo in H correctione factum *hic*. *Relegatur* falso compendio in fine posito scribitur in A U F, ex N Paris. 2783, 3477 *relegatus* Baretus adnotat. In editione principe videtur *hoc relegatus* esse. In H erasis aliis litteris scribitur *relegor*, in F codice *hic relegor* pro varia lectione adfertur, in R Z Paris. 2782, 9551 et, ut opinor, P (2788 Baretus adnotat) eadem est lectio, eandem, quamvis vix defendi possit, Savaro et Baretus receperunt. *Quāquam* pro *quaqua* in A repperi, alterum quoque *quam* per com-

pendium est scriptum. *Fragoribus* pro *frangor angoribus* in omnibus codicibus scriptum videtur. Aptissimum tamen est *frangor*, prorsus ineptum *fragoribus*. Hoc tamen retinent Savaro Elmenhorstius Sirmondus Mignius Baretus. Elmenhorstius *hic relegatus*, Sirmondus et Mignius *hoc relegatus* habent.

Ep. IX 5 (441). *Etsi plusculum forte discreta quam communis animus optabat sede consistimus, non tamen medii itineris obiectu, quantum ad solvendum spectat officium, nostra sedulitas impediretur, n i s i q u o d per regna divisi a commercio f r e q u e n t i o r i s sermonis diversarum sortium iure r e v o c a m u r. Quae nunc saltem post pacis initam pactionem quia fidelibus animis foederabuntur, apices nostri incipient commeare crebri, quoniam cessant esse suspecti.*

379. *Nisi quod* et paulo post *revocamur* scripsi ex A H R Z U codicibus. *Quod* a Wouwerio ex tribus libris adnotatum is ipse et Sirmondus Mignius Baretus omittunt, iidem *r e v o c a r e m u r* scribunt; hoc Elmenhorstius quoque habet, quamquam *quod* retinuit. Savaro veram lectionem edidit, falsam in adnotatione exhibet. Recte hoc loco ponitur *nisi quod*, nam tum ipsum non revocari ab epistularum commercio post dicuntur, cui repugnaret *nisi revocaremur*. Et facilior haec librariis videbatur lectio ac, si *quod* interciderat, paene necessaria.

380. *Frequentioris* in editionibus est idemque in R et Z; sed in A *frequentiore* ex *frequentiori* factum repperi, in H et U *frequentiore* eique genetivi formam superscriptam. *Frequentiori* vix admiserim, ceterarum lectionum utram Sidonius maluerit non adfirmo, quamquam mihi quidem magis placet adiectivum illud ad *commercio* quam ad *sermonis* referre.

Ep. IX 7 (443). *Quidam ab Arvernis Belgicam petens (persona mihi cognita est, causa ignota, nec refert) postquam Remos advenerat, scribam tuum seu bibliopolam pretio fors fuat o f f i c i o n e demeritum copiosissimo velis nolis*

declamationum tuarum schedio emunxit. Qui redux nobis atque oppido gloriabundus, quippe perceptis tot voluminibus, quicquid detulerat quamquam mercari paratis (quod tamen, cuius nec erat, iniustum) pro munere ingessit. Curae mihi e vestigio fuit iisque qui student, cum merito lecturiremus, plurima tenere, cuncta transcribere.

381. *Officione* melius certe est quam *officiove*, quod in editionibus invenitur. Hoc in codicibus A H R Z esse iam dixi pag. 47 (ep. II 2 *fors fuat*).

382. *Cuius nec erat* non minore scripsi confidentia; id in A H R Z repertum a Wouwerio nulla adnotata lectionum varietate scribitur. Is ante *cuius* non ponit distinguendi notam, mihi his verbis *cuius nec erat* idem dici videtur atque *eius enim non erat.* Conferendum puto Cic. off. I 31, 113 *at Aiax, quo animo traditur, milies oppetere mortem quam illa perpeti maluisset* et quae alia eiusmodi non pauca a grammaticis adferuntur. Iam videamus corruptelas. Ex Paris. 2782, 2783, 14490 Baretus adnotat *quod tamen civis, nec erat iniustum,* ex P et Paris. 9551 *quod tamen ut civis, nec erat iniustum;* hoc, quod ex illa lectione correctum videtur, receperunt Savaro Elmenhorstiusque. Sirmondus *utrivis,* ut videtur, coniecit (cfr gallicae versionis tom. II pag. 496), id habet Mignius, in editione anni 1652 alia lectio est: *quod tamen utilius, nec erat iniustum.* Quae, ea quoque coniectura, quantum video, reperta, a Bareto recepta est et a gallicis interpretibus sic redditur: il nous en fit présent, ce qui, du reste, valait bien mieux et n'était point injuste. Verum res furtivas mercari nec utilius est nec iustius quam pro munere invito ingestas tenere. Hoc addo in A verbum *detulerat* librarii culpa post *paratis* esse positum.

383. *Hisque* pro *iisque* Savaro Elmenhorstiusque scripserunt, quod quamvis in A et H sit, nescio quo pacto displicet.

384. *Plurima et vere cuncta* Wouwerius scripsit, ex duobus libris *fere,* ex Pithoei codicibus veram adnotat lectionem.

385. *Transcribere* scripsi, in A tamen aliud *s* super lineam, in H suo loco positum est.

Ep. IX 9 (448). *Sed post duos aut his amplius menses, sic quoque a nobis cito profectum cum quipiam prodidissent de viatoribus mysticae gazae clausis involucris clam ferre thesauros, pernicibus equis insecutus abeuntem, qui facile possint itineris pridiani spatia praevertere, osculo in fauces occupati latronis insilui humano ioco, gestu ferino, veluti si excussura quemcumque catulorum Parthi colla raptoris pede volatili tigris orbata superemicet.*

386. *His* et paulo post *possint* dubitanter scripsi ex A et H; *iis* omnes editores scribunt, *possent* Sirmondus Mignius Baretus. Sed cohaerentes quodam modo duorum optimorum codicum consentientium lectiones non inepte ad praesens tempus referri videntur.

387. *Quippiam*, quod in A repperi, retinet et Savaro et Elmenhorstius. Manifestum est vitium.

388. *Insilui* ex A et H scribendum videtur; id tamen H codicis scriptor in *insilii* mutavit, quod a Sirmondo Baretoque receptum est: *insiliit* ex Claud. in Ruf. I 349 adfertur, sed hoc ipso loco Lud. Ieepius recte scripsit *insiluit*, quod est in excerptis Lucensibus. Ex iisdem Claud. in Ruf. II 339 *desiluit* scribitur, *prosiluit* Ieepius ex aliis codicibus adfert, *prosiliit* ex Vatic. 3289, qui deterior habetur, ipse adnotavi. Et Sidonii carm. 7, 182 (499) in H *dissiliit* scriptum est, in A vero *dissiluit*. Quamquam in hac re concedendum est certam rationem constitutam non esse nec posse facile constitui.

389. *Colla* in A et H est, in hoc litterae *a* superscriptum *o*, *collo* Savaro Sirmondus Mignius Baretus scripserunt. *Superemicandi* verbum ex uno solo loco Sidonii in lexicis adferri solet carm. 15, 75 (552) *hinc fieri ut terram levior supermicet unda*, ubi cum accusativo iungitur. Sed librarium offendit pluralis *colla*, cuius usus exempla ex carminum certe scriptoribus multa adferri possunt, ut ex Horatio sat. II 7, 92 *eripe turpi colla iugo;* in Ovid.

Metam. decies ponitur ac III 726 *visis ululavit Agaue colla-que iactavit, movitque per aera crinem* ne metri quidem causa, siquidem *iactavit collum* scribi potuit. Addo locum ipsius Sidonii ep. IX 15 carm. v. 31 seq. (470)

> *At uterque vatum si lyrae poeticae*
> *latiare carmen aptet absque dorico,*
> *Venusina, Flacce, plectra ineptus exeras,*
> *Iapygisque verna cygnus* (A et H *cignus*) *Aufidi*
> *Atacem* (*atacen* A et H) *tonare* (Baretus solus *sonare*) *cum suis oloribus*
> *cana et canora colla victus ingemas.*

Hunc locum non recte vertunt gallici interpretes: et le cygne de l'Aufidus vaincu gémira de voir le triomphe des cygnes harmonieux de l'Atax; nam *cana et canora colla* ad Horatium referendum esse apparet.

390. Satis multa de hac re; alia restat, quae non brevius exponi possit. *Volatili* unius A codicis auctoritate motus recepi; *volatico*, quod in H repperi, in editionibus invenitur, neque ulla lectionum commemoratur varietas. Ac *volatilis* quidem aptissime hoc loco ita dicitur ut *volatile telum, volatile ferrum;* quaeritur possitne ferri altera lectio. Quod Cicero harusp. resp. 22, 46 *illius furentis ac volaticos impetus in se ipsos posse converti* dixit, turbulentam quandam inconstantiam recte viri docti interpretantur; aliud sine dubio esset *volatilis impetus.* A Plauto (Poen. II 26 seq.) *volaticus* positum esse, ut sit *alatus*, constat, neque tamen hoc loco hominum illorum volaticorum tam premitur celeritas quam mira natura. Et hac ratione maleficae mulieres (Fest. 314) ut striges, ita *volaticae* quoque vocatae videntur. Neque ex Apulei Metam. VIII 16, 208 *sed illa pernicitas non erat alacritatis meae, sed formidinis indicium; denique mecum ipse reputabam Pegasum inclytum illum metu magis volaticum fuisse ac per hoc merito pinnatum proditum, dum in altum et adusque caelum subsilit ac resultat formidans scilicet igniferae morsum Chimaerae* ad eum quem quaerimus locum tractandum quidquam potest colligi. Nam quae variae lectiones adferuntur *volatilum*

et *vollatius*, eae ipsae testantur, ni fallor, *volatilem* esse scribendum, non *volaticum*. Neque aliter se habet locus Hyg. fab. 141 *ibique* (Sirenes) *Cereris voluntate quod Proserpinae auxilium non tulerant, volaticae sunt factae;* nam hoc quoque loco alatus significat adiectivum illud, non velox. Itaque cum dubium videatur sitne *volaticus* idem ac velox, Sidonii loco *volatili* ex optimo codice A nescio an scribendum sit.

Ep. IX 11 (460). *Illud his iunge, quod si quid ibi vel causaliter placet, tu per consilium meum lectitas, ille quandoque per beneficium tuum, qui munusculi mei incassum pressus invidia necdum ad facultatem legendi, ut suspicor, venit, cum iamdiu ipse perveneris ad copiam transferendi. Aio tamquam non sit holographas membranas arbitraturus, si tamen quod ante percurras vel exemplar acceperit. Neque enim in iis quae tractaveris ulla culpabitur aut distinctionum raritas aut frequentia barbarismorum.*

391. *Casualiter*, quod in uno libro pro *causaliter* scriptum dicit Wouwerius, non recte Savaro Elmenhorstiusque admiserunt. Nam hoc dicitur: etiam si quid merito ac iure placet, tamen per se ipsum non excitat legendi studium. Satis id modestum est, *casualiter* modestius quidem, sed non aeque aptum. Id verbum ex hoc loco adfertur in lexicis, rectius ex Fulgentio (Myth. I 5) paulo inferioris aetatis scriptore.

392. *Holographas* Sirmondus Mignius Baretus scribunt, *autographas* Wouwerius Savaro Elmenhorstius; Savaro *olographas* ex "mss. Clar. & Put. atque etiam vett. libris" adnotat, reliquos dicit *autografas* habere, *diographas* tamen addit ex "mss. iur. Pet. Pit.", id ex libro Iac. Bongarsii Colvius adfert, ego ex R et Z (praecedente *aut*) adnotatum habeo. Potuit sane Sidonius et *holographas* et *autographas* et *idiographas* scribere, sed cum in A et H sit *aut olographas*, haud scio an novum verbum *autholographas* Sidonius posuerit.

393. Pro *ante percurras*, quod equidem non intellego,

puto scribendum esse *a te percursum*, praesertim cum et in A et in H *ate* repprererim; in H littera *n* alio atramento superscripta est. Ex R et Z Mauius *nate* adnotavit.

Ep. IX 11 (462). *Sed quorsum ista, quid morarum est? redeamus ad causam.*

394. Ita hic locus a Sirmondo editur, quem Mignius et Baretus sequuntur. Sed in A post *sed* superscripto *quorsum* ponitur *quā moris est* et in H *sed quorsum quam moris est* — quod Savaro recepit — prima manu, a correctore *q̄d mora. ē.* et super *mora* verbum *rū* scriptum est. In R et Z *s; quorsum q̄d morarum ē* fere scribitur. Wouwerius ex duobus libris *sed quorsum plura quam moris est*, ex aliis *sed quorsum pl. quid morae est* adnotat, illud Elmenhorstius recepit. Talis, ni fallor, sententia requiritur: *sed quorsum plura etiam quam moris est;* ultima verba certe in archetypo fuerunt, in quibus *moris* in genetivo positum librarios videtur offendisse. Wouwerius *sed quorsum? quid morarum?* scripsit.

Ep. IX 13 (465). *Tu vero tunc oportunius subiecta laudabis, cum totus otio indulseris. Non enim iustum est ut censor incipias cum severitate discutere, quod non potuit amicus cum serietate dictare.*

395. *Totus otio* ex A et H scripsi, in hoc tamen correctione postea factum est *totum te socio;* illud ex compluribus libris manuscriptis adnotavit Savaro, hoc tamen nescio quid de oxygaro, qui esset sociorum liquor, narrans defendit; idem ex P et Paris. 2782, 2783, 9551, 2170, 3477 Baretus adfert. Nulla est causa cur hoc loco recentioribus libris maiorem fidem tribuamus.

Ep. IX 14 (457). *Hi nimirum* (versus) *sunt recurrentes, qui metro stante neque litteris loco motis ut ab exor-*

dio ad terminum, sic a fine releguntur ad summum. Sic est illud antiquum:

Roma tibi subito motibus ibit amor

et illud:

Sole medere pede ede perede melos.

396. Pro *pede* fortasse scribendum est *pedes.*

397. In A quod sciam solo post priorem versum interponitur *et:*

si bene te tua laus taxat sua laute tenebis.

398. In eodem codice paulo post ubi aliud recurrentium versuum exemplum adfertur, post haec: *hoc si recurras ita legitur:*

Deficiet cito iam consumptum tempore flumen,
tramite decurrit quod modo praecipiti

additur & *Musa michi causas memora quo numine leso,* quod receperunt Wouwerius Savaro Elmenhorstius. Sed hoc multo minus apte verbis Sidonii inseritur — et in A posterius additum est, prima tamen manu, illud vero non item. Quare id, quamquam offendit correpta secunda *laute* verbi syllaba, nescio an potius Sidonio tribuendum sit quam versus omnibus iis notus, qui carmina Vergilii didicerunt et grammaticos de versibus reciprocis disserentes legerunt.

Ep. IX 14 (458). *Officii magis nostri est auditoribus scamna componere, praeparare aures fragoribus intonaturis, dumque virtutes tu dicis alienas, nos moliamur tuas dicere.*

399. *Moliamur,* quod plerisque deesse dicit Wouwerius, ex A addidi; omittitur in H R Z sicut in Sirmondi et Bareti editionibus. In Mignii editione post *componere* ponitur *et,* quod vix est necessarium.

Carm. 1, 23 seq. (594).

Sic nos, o Caesar, nostri spes maxima saecli,
post magnos proceres parvula tura damus
audacter docto coram doctore canentes,
aut Phoebi aut vestro qui solet ore loqui;
qui licet aeterna sit vobis quaestor in aula,
aeternum nobis ille magister erit.

400. *Doctore* non dubito quin Sidonius scripserit vocum similitudine suo more abusus eandemque rem paulo post alio verbo *magister* significans, quod ab eo fieri solere saepius vidimus. De adnominatione cfr v. 4 *laudavitque sono fulmina fulmineo* et quae plurima congessit Kretschmannus in progr. Memel. a. 1870 pag. 11. Et haec est A codicis lectio, in H et b *victure* repperi; *victore*, quod ex P et Paris. 2782 Baretus adnotat, Sirmondus, quod in plerisque legeretur, scribendum censuit.

Carm. 2, 134 seq. (600).

At postquam primos infans exegerat annos,
reptabat super arma patris quamque arta terebat
lamina cervicem gemina complexus ab ulna
livida laxatis intrabat ad oscula cristis.

401. *Quamque* sine dubio scribendum est ex A H R b, non *quamquam*, quod ab omnibus editur; hoc librariis festinantibus facilius videbatur, illud magis perspicuum esse omnibus persuasum erit.

Carm. 2, 245 seq. (604) in Hunnorum descriptione.

Ita vultibus ipsis
infantum suus horror inest. Consurgit in atrum
massa rotunda caput, geminis sub fronte cavernis
visus adest oculis absentibus, acta cerebri
in cameram vix ad refugos lux pervenit orbes et q. s.

402. In A scriptum est *antrum*, sed *n* expunctum est. *Arctum*, quod in R est atque in omnibus editionibus, nescio an verbis *massa rotunda* repugnet. Iordanes quoque c. 24 Hunnorum *speciem pavendae nigredinis* fuisse dicit *et velut quandam, si dici fas esset, deformem offam, non faciem* et Attilam (c. 35) *originis suae signa restituentem capite grandiori* et *taetrum colore* fuisse describit.

Carm. 2, 265 seq. (604).

Cornipedum tergo gens altera fertur,
haec habitat. Teretes arcus et spicula cordi.

403. *Habitat*, quod est in A et R, iam Sirmondus scribendum esse docuit, *habet et*, quod Wouwerius Savaro Elmenhorstius scribunt, repellendum.

Carm. 2, 400 seq. (610).

Perpetuo stat planta solo, sed fascea primos
sistitur ad digitos, retinacula bina coturnis
mittit in adversum vincto de fomite pollex,
quae stringant crepidas et concurrentibus ansis
vinclorum pandas texant per crura catenas.

404. *Fomite* ex A R P Paris. 9551 scripsi, non *fornice*, quo verbo Sirmondus devexam pedis partem significari putat. Vix recte id quidem, neque enim, ut alia omittam, sic intellegitur *de* praepositio. Apparet, ni fallor, librarios, si haec lectio in codicibus invenitur, hoc corrupisse, cum singularem *fomes* verbi usum non attendissent, qui aliis quoque locis Sidonii est conspicuus ut ep. II 2 (210) mons *inferiores sibi colles tamquam gemino fomite effundit* et III 13 (247), ubi *de spinae internodiorum fomitibus curvatura costarum erumpere* dicitur.

Carm. 5, 57 seq. (518).

Famula satus olim
hic praedo (Gensericus) *et dominis exstinctis barbara dudum*
sceptra tenet tellure mea penitusque fugata
nobilitate furens quod non est non amat. O spes,
o Latii sopite vigor, tua moenia ridet
insidiis cessisse suis! non concutis hastam?

405. *O spes* scripsi ex A (*amat; óspes*) et H (. *ospes*); in R est *ospes*, in editionibus *hospes*, quod mirum quantum friget cum illa praesertim lectione comparatum. Librarios fortasse ideo offendit *o spes*, quod *Latii* simul audiri non animadvertebant.

Carm. 5, 86 seq. (519).

Romanaque tecta
Hannibal ante meus quam vidit Scipio nostra.

406. Ita ex A scribendum est, non *nostra Scipio vidit*, quod in plerisque editionibus est; in H *nras Scipio vidit* repperi.

Carm. 7, 198 seq. (499).

Sic Pandioniis castae Tritonidos arvis
Hippolytus roseo sudum radiabat ab ore,
sed simul a gemino flagrans cum Cressa furore
transiit affectu matres et fraude novercas.

407. Sirmondi hoc loco prorsus eadem est atque A codicis lectio (*ágemino*); sed in Mignii editione *sudans* scribitur, item a Bareto et ab eo paulo post *simili, gemino.* Hoc autem prius scriptum est in H, in *simul a* postea correctum, in b *simula*, in R *simili* est, in omnibus *sudum.* Ex P *sed simulac* Baretus adnotavit. *Sudans* scribi fortasse potuit, ut esset laborans vexatus anxius; verum in eo sententiarum contextu *sed simul* ferri nequit ac ne *sed simili* quidem apte positum videtur. In A codicis lectione rubor Hippo-

lyti Aviti pudori opponitur et quodam modo postponitur, quod illius turpis fuerit causa, huius honestissima. Quam lectionem librariis displicuisse minime mirandum est, cum et *sudum* rarum sit insolenterque pro adverbio ponatur et post *simul* non soleat sequi *cum* coniunctio et *a* praepositio supervacanea videatur; de simili *a* praepositionis usu iam Plinio minori probato cfr quae dixit Krautius in programmatis Schoenthaliani a. 1872 pag. 20.

Carm. 7, 372 seq. (506).

Francus Germanum primum Belgamque secundum
sternebat, Rhenumque, ferox Alamanne, bibebas
Romani ripis et utroque superbus in agro
vel civis vel victor eras.

408. Melius, ni fallor, *Romani* scribitur in A et H quam *Romanis* in editionibus.

Carm. 9, 1 seq. (477).

Dic, dic quod peto, Magne, dic amabo
felix nomine mente honore forma
natis coniuge fratribus parente et q. s.

409. *Forma* ex A et R scribendum est, non *fama*, quod a plerisque editoribus receptum neque huic loco convenit neque viro de quo agitur. Cfr carm. 23, 455 (591).

seu nos, Magne, tuus favor tenebat,
multis praedite dotibus virorum,
forma nobilitate mente censu.

Carm. 9, 162 (483).

et Scyllae rapidum voracis inguen —

410. Unum solum versum exscripsi, ut unam ex A codice corrigam litteram; *rabidum* enim in eo recte scrip-

tum est, *rapidum* Sirmondus Mignius Baretus edunt. Illo autem verbo Sidonius non tam famem Scyllae rabidam — gallici interpretes sic vertunt: au gouffre dévorant de Scylla — quam canum illius rabiem mihi videtur expressisse. Cfr Ovid. Pont. IV 10, 25 *Scylla feris trunco quod latret ab inguine monstris.*

Carm. 9, 339 seq. (490).

Sed nec turgida contumeliosi
lectoris nimium verebor ora,
si tamquam gravior severiorque
nostrae Terpsichores iocos refutans
rugato Cato tetricus labello
narem rhinoceroticam minetur.

411. Sirmondus *tertius*, quod in veteribus libris ait esse, ego in A et R repperi (*tcius*), nescio an recte defenderit allato loco Iuvenalis (I 2, 39) *habeat iam Roma pudorem, tertius e caelo cecidit Cato.* Quod hoc quem tractamus loco magis quaesitum videri nil moror; ea ipsa vero causa fuit cur *tetricus* ex carm. 12, 5 (616) *laudantem tetrico subinde vultu* fortasse arreptum librariis magis videretur probabile. Contrarium mendum verisimilius quidem existimamus a librariis admitti solitum esse, ut ipse (Mus. Rhen. a. 1878, pag. 481) Claudian. Rapt. Proserp. I 100 *tetrica supremae patior dispendia sortis* conieci.

Carm. 14 epist. ad Polem. (547).

Quarum (regularum) *talis ordo est ut sine plurimis novis verbis, quae praefata pace reliquorum eloquentum specialiter tibi et complatonicis tuis nota sunt, nugae ipsae non valuerint expediri.*

412. *Reliquorum* ex A scribendum videtur, non *plurimorum*, quod Wouwerius Sirmondus alii edunt.

Carm. 15, 14 seq. (550).

Tegit extima limbi
circite palla pedes, qui cum sub veste moventur,
crispato rigidae crepitant in syrmate rugae.

413. *Limbi*, quod in A codice repperi, a Wouwerio receptum Chatelainius reiecto et *limi*, quod in R P L est, et *limo*, quam optimi libri lectionem dicit Sirmondus, recte defendit comparatque Stat. Achill. I 330 *et picturato cohibet* (ita est in omnibus codicibus a me collatis, non *cohibens* quod ex uno Kohlmannus edidit) *vestigia limbo*. Bitschofskius (De C. Soll. Apoll. Sidonii studiis Statianis, Vindob. 1881, pag. 51) per errorem fortasse *limbo* scripsit.

Carm. 22, 93 seq. (568).

Parcere saepe malum est sensumque inferre dolori.
Ipsa autem nato occiso Pentheia mater
amplius ut furiat, numquid non sana futura est?
Ergone Aonios colles habitare valemus,
cum patris extincti thalamis potietur adulter,
frater natorum, coniunx genitricis habendus,
vitricus ipse suus? Cordi est si iungere gressum,
dicam qua pariter sedem tellure locemus.

414. *Non sana* ex A scripsi, *vesana* editores habent. Dicitur Agaue etiam magis furere, cum sana facta filium a se interfectum agnoverit. *Vesana*, quod ego intellegam, explicari non posset, nisi *vesana manebit* aut aliquid tale scriptum esset.

415. *Ergone* optima est A codicis lectio, *ergo nec* editorum. De Boeotia sola, non de alia terra Apollo locutus erat. Qui *nec* scripsit, non vidit quanta hoc loco esset vis interrogationis. Cfr quae pag. 73 de ep. IV 11 (*ergo ut*) diximus.

416. Pro *qua* vix scribendum est *quam*, quod in A repperi. Ex verbis vicinis *dicam* et *sedem* vitium traxit scriptura.

Carm. 23, 85 seq. (577).

Laus est ardua dura sustinere.
Ignavis timidis et inprobatis
multum ringitur otiosa virtus.

417. *Ringitur*, quod est in A, recte iam Wouwerius scripsit; *fingitur (cingitur, tingitur)* quidam editores aut edunt aut adnotant, *fingitur* in omnibus libris manuscriptis esse contendit Colvius.

Carm. 23, 162 seq. (580).

Quid celsos Senecas loquar vel illum
quem dat Bilbilis alta Martialem,
terrarum indigenas Ibericarum?
Quid, quos duplicibus iugata taedis
Argentaria Polla dat poetas?

418. Mire dicitur Polla *poetas dare* maritos, nec multo melior fieret sententia, si *dare* esset facere, quod vel ideo displicet, quia paulo ante aliter dictum est *dat Bilbilis.* Sed in A est *Argentaria pallidat*, quod ex quibusdam libris adnotaverunt Wouwerius et Sirmondus. *Argentariae* nomen solum posuit Sidonius sicut ep. II 10 (238) *Argentaria cum Lucano;* magis dubium est *pallidat* semel dictum. Potuit tamen scriptor hoc eadem ratione atque *madidare tepidare sordidare* (cfr. v. 349 *moto pulvere sordidatur aer*) fictum formatumque novare et paulo audacius de *taedarum* lumine rutilante dicere.